culis & flagellis, præſertim poſt Chriſtum; ac tandem planè eos abjecit, tradiditque vaſtandos Tito & Romanis, uti in ſequentibus docet Zacharias. *Verſ.* 7.

Et dixit Dominus ad me: Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti, id eſt, improbi; qui gregem negligit, imò expilat, ut ſe unum paſcat & ditet. Hujus vaſa, id eſt inſtrumenta, ſunt machæra, vel culter ad jugulandum oves; baculus ad confringendum earum crura; laqueus ad eas ſtrangulandum; cithara, quam neglectis ovibus pulſet, ut ſe oblectet. Unde ſubdit *Verſ.* 15.

O paſtor & idolum, derelinquens gregem! q. d. Tu, ò ſtulte & improbe paſtor, non es paſtor, ſed umbra & idolum paſtoris. Habes nomen & pedum, ſed curam & vigilantiam paſtoris non habes. Tales fuere Jaſon & Menelaus tempore Machabæorum, atque Annas, Caiphas & Scribæ tempore Chriſti. Talis erit Antichriſtus in fine mundi, qui volet adorari ut idolum & numen. *Verſ.* 17.

Ecce ponam Ieruſalem in ſuperliminare crapulæ omnibus populis in circuitu. Alludit ad profanationem templi factam ſub Antiocho, adeò ut in eo comeſſationibus & ſcortationibus vacarent, ut patet 2. Machab. 6. Quocirca templum jam non erat templum, ſed popina, ganea & domus crapulæ, ita ut in ejus ſuperliminari tituli loco ſcyphus, quaſi inſigne compotationis & crapulæ, exponi potuerit, & fortè reipſa expoſitus ſit. q. d. Græci, & nonnulli Judæi ex domo Dei fecerunt domum crapulæ: Ego faciam, ut quaſi ebrii in illam impingant, utque à Machabæis cædantur, & jam non vino, ſed ſanguine ſuo inebrientur: propinabo eis calicem tremoris, ſtuporis & ſaporis (hæc enim omnia ſignificat Hebr. *Raal*) ut eo conſopiti æternum ſomnum dormiant. *Cap.* 12. 2.

Ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eum, conciſione lacerabuntur. Alludit ad palæſtram Gentilium, quam impium Jaſon in Jeruſalem induxit, in qua certabant diſco, id eſt, maſſa plumbea, vel ſaxea, quis ſcilicet eam altiùs elevare, vel longiùs projicere poſſet, qua ſæpè lacerabantur manus levantium, imò ipſi levantes ſubindè opprimebantur. q. d. Certant Græci, ut Judæos, quaſi diſcum & lapidem oneris è Judæa in Græciam projiciant; ſed ego faciam, ut ab eodem per Machabæos lanientur & opprimantur. *Verſ.* 3.

Ex Malachia.

Orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus, & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento. Alludit ad ænigma phœnicis: hujus enim ſunt pennæ. Phœnix enim eſt avis ſolaris, quia ſymbolum eſt ſolis. q. d. Chriſtus ex morte redivivus orietur vobis, ò juſti, quaſi phœnix, id eſt, quaſi ſol juſtitiæ poſt occaſum exoriens qui ſuis radiis, quaſi pennis expanſis, vobis irradians, à morte vos reſuſcitabit, ac gloria beatitudinis & dote agilitatis donabit, ut vegeti, læti & felices exiliatis, ſicut exiliunt vituli benè paſti & ſaginati. *Cap.* 43.

---

* Æqualitas.

* Definitio & Etymologia.

ÆQUALITAS, Hebr. *Ioſcher*, à verbo *Iaſcher*, rectus fuit, directus eſt, rectus & plenus fuit. Et *Miſchor* ab eodem verbo, quod cognationem habet cum *Aſſchar*, beatus fuit, & *Caſſchar*, congruit. Græcè *ἰσότης*, dicitur. Et eſt proportio habentium unam quantitatem. *Secund. B. Thom.* 1. *ſent. diſt.* 9. *q.* 1.

Μοῖραν πᾶσι νέμειν, ἰσότης δ' ἐν πᾶσιν ἀρίστη.

Partem omnibus tribue, æqualitas ſane in omnibus optima.

Æqualis, Græcè ἴσος, η, ον, & ἐπίσος, η, ον, dicitur. Eſt medium inter defectum & exceſſum. *Secund. Ariſt. lib.* 2. *Ethic.*

Æquale eſt, quod habet quantitates menſuratas æquales. *Alb. Magn. lib.* 3. *Phyſ. tract.* 7. *cap.* 3.

Æquale autem accipitur plerumque in moralibus, ut ſit idem quod juſtum, quomodo Theologi conſtituunt Æqualitatem objectum formale juſtitiæ ſpecialis, quæ id intendit, ut cuilibet tribuatur, quod ſuum eſt, id eſt, ſervat in omnibus æqualitatem debitam.

Partitio.

Æqualitas duplex à Philoſophis conſtituitur. Vulgaris ſive Arithmetica, quæ reſpicit proportionem numerorum, & quantitatem: Et Geometrica, quæ in proportione rerum conſideratur.

Et juxta hanc diviſionem à Theologis etiam duplex Æqualitas ſtatuitur. Altera rei ad rem, ut v. g. pretii ad merces; & dicitur æqualitas ſecundum proportionem arithmeticam, eſtque objectum juſtitiæ commutativæ.

Altera proportionis ad proportionem (ut cum eſt æqualitas inter res aut dignitates quæ diſtribuuntur, aut ſecundum quas illæ diſtribuuntur) quæ eſt æqualitas ſecundum proportionem Geometricam, eſtque objectum juſtitiæ diſtributivæ. Ita *Leſſius l.* 1. *c.* 2. *de Iuſt. & Iure dub.* 1.

ÆQUALITATIS SERVATÆ Exempla Et Apophthegmata.

THEMISTOCLES facilitate morum multos civium ſibi conciliarat, atque hinc popularem potentiam eſt adeptus. Itaque cuidam ipſum admonenti, Penè principatum geres Athenis, ſi cunctis æqualis & communis eſſe voles: reſpondit, Nunquam ei ſellæ inſederim, unde nihilo plus à me ferrent amici, quàm alieni. *Plut.*

DIOGENES, pecuniis ſi quando egeret, eas ab amicis accipiebat. At cum à quibuſdam ob id ſugillaretur, quòd præter Philoſophi dignitatem, mendicorum more peteret: Imò, inquit, non peto, ſed repeto. Repetimus autem mutuum, aut depoſitum. Amicus autem egenti amico dans, non donat, ſed reddit potiùs id quod amico debet: quoniam amicorum omnia debent eſſe communia. *Laert. lib.* 6.

EPICURUS mirum in modum Pythagoræ inſtitutum improbabat; qui cum doceret, amicorum omnia eſſe communia, jubebat, ut diſcipuli, quod quiſque habebat, deponerent in commune, dicens: Id eſſe diffidentium veriùs, quàm amicorum. Nam ſi quis verus eſt amicus, nihilominus habeo pro meis, quæ ille poſſidet, quàm ſi depoſuiſſet. Qui diffidit autem, aut non eſt verus amicus, aut dubitat de amico alterius. *Eraſm. lib.* 8. *Apoph.*

PLATO felicem & beatam eſſe eam civitatem inquit, in qua iſtæ voces, *Meum*, & *non meum*, proferri non audiantur, eò quòd communibus, quoad fieri poteſt, rebus, quæ quidem alicujus æſtimationis ſunt, uti cives debeant. Sed multò magis hujuſmodi vox è connubio eximenda eſt. *Plut. in nuptialibus præceptis, & Stob. ſerm.* 72.

IDEM, Servi & domini, inquit, amici nunquam erunt. Nec probi, nec improbi, etiam ſi æqualibus afficiantur honoribus. Inæqualibus enim æqualia & inæqualia fiunt, niſi menſuram accipiant. Nam propter hæc utraque ſeditionibus replentur Reſpublicæ. Verus enim priſcus ille ſermo, ab æqualitate amicitiam procreari, &c. *lib.* 6. *de legib. Stob. ſerm.* 42.

LEONIS Eurycratidis filius, interrogatus, in qua tandem urbe aliquis poſſit tutò vitam agere: In ea, inquit, quam qui incolunt, neque plus poſſident, neque minus, & ubi juſtitia viget, injuſtitia imbecillis eſt. Graviter admonuit, æqualitatem eſſe pacis & tranquillitatis altricem, inæqualitatem ſeditionis eſſe ſeminarium: nec ibi locum eſſe juſtitiæ, ubi ut quiſque potentior eſt, ita licentiùs opprimit imbecilliorem. *Plut. in Lacon.*

LYCURGUS interrogatus, quomodo liceret hoſtium inſultum effugere? Si, inquit, nec alius alio plus requirat. Quo dicto docuit, tutiores eſſe eos ab hoſtium incurſu, inter quos eſt æqualitas, & in æqualitate concordia. *Plutarch. in loco Apoph.*

IDEM, quoniam intelligebat æqualitatem & ad frugalitatem, & ad concordiam in primis conducere, fecerat novam agrorum partitionem, & in ſingulos cives æquam portionem diſtribuerat. Fertur itaque, cum dein ex peregrinatione rediens, iter faceret per agrum recèns demeſſum, conſpiceretque manipulorum acervos ordine poſitos, & æquales, delectatus eo ſpectaculo, cum riſu dixiſſe comitibus: Ut tota Lacedæmon videtur multorum eſſe fratrum, qui nuper inter ſe diviſerint hæreditatem. Bono principi nihil jucundius eſt civium concordia, rurſum Tyranno nihil formidabilius. *Plut. in Lycurgo.*

IDEM, quum ſtatuiſſet invadere delicias, luxumque, & in his quoque tollere divitiarum admirationem, inſtituit Syſſitia, hoc eſt, convivia publica. Percontanti verò, cur ea conſtituiſſet, ſic ut in ſingulis conviviis pauci cum armis diſcumberent: Ut inquit, expediti ſint ad parendum imperatis, & ſi quid tumultus inciderit, penes paucos ſit delictum, ſitque inter omnes potus ac cibi æqua portio. Denique non ſolum

in eſculentis, & poculentis, verùm ne in ſtrato quidem, aut vaſis, aut alia re quacumque, plus haberet dives, quàm pauper. *Plut. in Lacon.*

CURIUS devictis Sabinis, cum ex Senatuſconſulto ei ampliaretur agri modus, quem conſummati milites accipere ſolent, recuſavit, & gregalium portione contentus fuit, dicens, eſſe malum civem, cui non eſſet ſatis id quod cæteris eſſet ſatis. *Plin. junior cap.* 33. *de viris illuſtr.*

* Hieroglyphica.

Per *hirundinem* imprimis Ægyptii, quæ filiis ſuis cibum ſubminiſtraret, hominem intelligebant, qui liberis æquas hæreditatis portiones diſtribueret. Neque non principem, qui ſe civibus æquaret ſuis, neque ullo vellet ornatu vel apparatu magis quàm reliqui ſumptuoſiore accipi. Hirundo ſiquidem mira filios alit æquitate, ſingulis cibum parem impartiens: ea adhibita diligentia, ne qui ſemel acceperit, bis accipiat: atque ita, ut par ſit omnium ſportula, procuret. *Pierius Valerius lib.* 12.

* INÆQUALITAS.

In educatione liberorum.

JACOB præ aliis filiis diligebat Joſeph, eò quòd in ſenectute eum genuiſſet. Undè ſummo eum amore proſequebatur, fecitque ei tunicam polymitam, hoc eſt variegatam. Hæc autem tunica aſſiduè oculos fratrum feriebat, unde illum hac exſpoliarunt, mortemque minati ſunt, & tandem vendiderunt Iſmaelitis; quo exemplo docentur parentes æqualiter ſua dona filiis partiri, quantùm ratio ſinit. *Geneſ. cap.* 37.

Æquanimitas.

* Definitio & Etymologia.

UT æquanimis dicitur, qui eſt æqui animi, id eſt, nec proſperis extollitur, nec adverſis frangitur: ita Hebræi æquanimem ſeu æquanimum nomine *Erech appaſim*, id eſt, hominem longarum narium, id eſt, patientem & tardum ad iram appellant. Id Deo proprium eſt, teſte Scriptura & experientia perpetua: à quo nonnulli quoque eam virtutem participant cum proportione. Hinc Æquanimitas accipitur pro eadem virtute, & à Græcis *ἀγνωμοσύνη* appellatur; eſt namque *ἀγνώμων* æquanimis, qua voce utitur *Auſonius*:

Æquanimis fiam, te Iudice, ſive legenda,
Sive tegenda putes carmina quæ dedimus.

* Objectum Illius.

Æquanimitas ſpectatur in condonandis injuriis, & tolerandis damnis, aliorum vitiis, & doloribus.

* Exempla Historica.

Ex Apophthegmatibus Chriſtianorum Laurentii Beyerlinck.

In Injuriis.

Ut proprium Chriſtiani hominis eſt non inferre injuriam ita etiam illatam non ulciſci; neque aliud eſt quod ſic animi tranquillitatem conciliet atque conſervet, ut injuriarum omnium ſtabilis & firma toleratio. Mancipatus carceri Apollonius, dum contra omnem æquitatem à Philemone variis afficeretur tormentis, nihil aliud dicebat, quàm, Fili miſereatur tui Deus, & nihil horum quæ in me es oblocutus, tibi reputet ad peccatum. *In vit. PP.*

LUPUS Epiſcop. Attila civitatem Trecaſinam obſidente, interrogavit, quis eam ita armis laceſſeret; ubi accepit eſſe Attilam flagellum Dei, ingemiſcens ait: Et ego Lupus vaſtator gregis Dominici, dignus flagello ejus; portaſque pandi juſſit. Ingreſſi hoſtes nullum hoſtilitatis edidere ſignum: & ita factum, ut qui ſe dignum flagello confeſſus fuerat, à flagello liber eſſet. *Sur. tom.* 4.

GREGORIUM Pontificem ne ſumma quidem dignitas ad injuriæ impatientiam compulit. Mauricio enim Auguſto, filiiſque ejus ſe perſequentibus dicebat: Quoniam ego peccator ſum, vos tantò magis (ut opinor) Deum vobis conciliatis, quantò magis me illi ignaviter ſervientem affligitis. Sic tandem, quem armis non poterat, patientia vicit. *In vita Greg. lib.... cap.* 17.

Quid verò omni pietate & religione inſignis Ignatius? Rogabatur, quænam eſſet maximè compendioſa ad perfectionem via? reſpondit: Si multa æquanimiter Chriſti nomine patiare. Sciebat, beatos fore eos, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, & quòd

Nobile vincendi genus eſt Patientia: vincit
Qui patitur. Si vis vincere, diſce pati.

Ribaden. lib. 5. *cap.* 10. *Vitæ ejus.*

Referamus nunc eos qui hac virtute in civili ordine illuſtres extitere. Pergebat religionis ergo in terram ſanctam Robertus Dux Normandiæ, dumque à ſuis remotior cum homine agreſti altercaretur, tandem ab eo vapulavit; quod conſpicati comites ulciſci parant. Ille, Nolite, clamabat, quia has plagas merito meo accepi; indignum judicans eo loco ulciſci injurias, ubi Chriſtus tantas ſpontè pro nobis toleraſſet. *Polyb. lib.* 8.

LUDOVICUM XII. Gall. Regem, Aurelianum adhuc Ducem, impunè injuriis convitiiſque lacerarunt nobiliores quidam, dumque ut ſe de illis ulciſceretur, jam regni ſceptra tenens, inſtarent nonnulli, reſpondebat: Parùm decorum eſſet Regi Galliarum, injurias illatas Aurelianorum Ducibus ulciſci. Egregiè in *Soliloquiis Iſid.* Magna eſt virtus, ſi non lædas, à quo læſus es. Magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus, remittas. Magna eſt gloria, ſi cui potuiſti nocere, parcas. *P. Æmil. in vita.*

Intellexerat Ferdinandus Imperat. quemdam, cui plura beneficia contulerat, & multis nominibus ſibi devinxerat, à ſe defeciſſe; & nihil commotus, Miror, dicebat, virum tantum ſe majoribus ſuis indignum reddidiſſe; eoque dicto, quidquid commiſſum erat, diſſimulabat. *Pont. de Principe.*

Non minùs laudabile, quod muliebris animus præſtitit: Frequentabat Antiſtitis Athanaſii domum Matrona Nobilis, importunè rogitans ſibi concedi unam ex iis viduis, quæ Eccleſiæ impenſis alebantur, cui poſſet benefacere: cumque ea daretur poſtulanti, quæ inter illas moribus & modeſtia præcellebat; queri cœpit, non eſſe datam ex animi voto. Ea itaque dimiſſa, aliam recipit, & ſimul ab ea contumelias & verbera; quam tamen libenter ſufferens, gratias agebat Athanaſio, dicens: Tandem delegi contubernalem, cui pro malo bonum, pro injuria beneficium reddere aſſuefiam. *Caſſian.*

Et Paula Gracchorum ſtirpe nobilis, vitæ innocentia nobilior, cùm audiviſſet ſe ſtultam quorundam judicio reputari; Theatrum, inquiebat, facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus: nos ſtulti propter Chriſtum, ſed ſtultum Dei ſapientia eſt hominibus. *Hieron. in Epitaph. Paulæ.*

* In Doloribus.

Haud minùs exiguum virtutis opus, adverſas valetudines, quoties in eas inciderimus, æquo animo ſuſtinere. Referamus ergo exempla eorum, qui hac virtute præditi fuere, eaque ex multis pauca. Habuit autem hanc gloriam Vincentius, qui in mediis tormentorum cruciatibus, Tyranno inſultans: Inſurge, ajebat, & toto malignitatis ſpiritu debacchare; videbis me Dei virtute plus poſſe, dum torqueor quàm poſſis ipſe qui torques. Quod animoſum dictum probavit eventus, dum Tyrannus poſt tot in unum corpus inflicta tormenta fateretur, Victi ſumus. *In vita ejuſd.*

Et quænam vis illa fuit, qua ſuccenſus Laurentius affligenti ſe Tyranno dicebat, Infelix, has epulas ego ſemper optavi? cumque in craticula ſubjectis prunis aſſaretur, invicto animo flammarum ſuſtinens violentiam, admirandam hanc vocem emiſit: Iſtæ flammæ mihi refrigerium præſtant. Meritò itaque eum deprecatura canit Eccleſia: Da nobis Domine vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. *In vita apud Surium.*

Abbas Beniamin laborabat intolerabili hydropis dolore, cumque præſentes ejus cruciatum fixis oculis intueri non poſſent, dixit: Orate, ne interior meus homo hydropicus ſit. Hoc enim corpus, neque cùm benè ſe habuit, mihi profuit; neque cùm malè, me læſit. *Pall. in Hiſt. PP.*

STEPHANUS Abbas, dum ope medicorum incurabili morbo affligeretur, ac putrida membra inciderentur, mutato vix vultu, cum adſtantes aſpicere vix poſſent præ angore; Ego, inquiebat, novi hos morbos ob peccata accidere: eſt meliùs hìc pœnas ſolvere, quàm æterna pro iis ſupplicia ſuſtinere. *Sozom. Hiſt. Trip. lib.* 8. *cap.* 1.

☞ *Require Martyrium & Morbus.*

* In Damnis.

Rerum etiam jactura fortiter ferenda eſt, cùm nihil ſine Dei nutu evenire mortalibus queat. Ad ſervandam ejuſmodi

A æquanimitatem adhortabatur nos Dominus, cùm diceret: Ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere, ne ſcilicet magis irrites raptorem, & in tui necem accendas. Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas, id eſt, paratus ſis potiùs damnum aliquod perpeti, quàm ut cum ſcandalo proximi repetas. *Luc. cap. 6.*

Quid autem Clarævallenſis Abbas Bernardus? Ablata erant ducenta argenti pondo, ſibi ad impenſas conſtruendi cœnobii miſſa; quod cùm ad eum deferretur, Gratias, inquit, Deo ago, quòd tanto me onere levarit. Summæ temperantiæ index ea vox, apud paucos hoc ævo recepta. *Marul. l. 5.*

Cum veniſſent ad ſenem Anachoretam latrones, dicerentque; Ecce omnia tua venimus tollere, ille: Quæcumque filii vobis videntur, tollite; quo facto, abierunt; cumque ſolum marſupium reliquiſſent, eo accepto, ſenex Dominici præcepti memor, illos inſequitur, & inclamat: Accipite etiam illud quod tollere obliti eſtis. Redeunt, & ablata reſtituunt. Quàm verum illud *Greg. ſub Epiſt. ad Hebr.* Nihil ita confuſionem facit ingerenti mala, ſicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo, neque opere reddere
B vindictam. *Prat. Spirit. cap. 211.*

☞ *Videatur Titulus de Patientia, Injuriæ condonatione, Vindicta.*

Æquitas.

☞ *Vide Iuſtitia, Lex, Ius.*

A BRUTIS SERVATA.

Ab Elephanto.

REfert *Ioannes Pierius*, fuiſſe Elephantem, qui, cum vidiſſet, menſuræ, quæ hero ſuo impendebatur, & lapillos & pulverem admiſceri, quo de pondere quidquam fraudaretur, animadvertebat carnes apud eum elixari. Et accedens, cinerem proboſcide ſorbet in ollam effundendum, pa-
C ria facturus, ut ita injuriam hero illatam vel æquaret, vel ſuperaret. *Lib. 2. Hieroglyph. de Elephante.*

Aer.

* DEFINITIO & ETYMOLOGIA.

AEr Græcè ἀὴρ, eſt elementum medium inter ignem & terram: dictus ſive ἀπὸ τȣ̃ αἴρειν, id eſt, à ferendo, quòd velut terram ferre videatur; ſive ab ἄημι, à ſpirando. Eſt autem humidus & calidus, ac vitalem ſpiritum animantibus præbet. Undè *Avicenna* aerem dicit corporum noſtrorum veluti pabulum. Et *Galenus* ſcribit, abſque ambiente nos aere, neque morbum poſſe tolli, neque conſtare ſanitatem. Adde, quòd ſit velut vehiculum volatilium: luminis, vocis, imaginumque ad ſenſus feruntur, & impreſſionum omnium quas aerias dicimus, ſubjectum. Ponitur aliquando pro vento ſive ſpiritu vel flatu, quomodo apud *Virgilium*:

Aera dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras.

D

* SPATIA SIVE REGIONES AERIS.

Univerſus Aer apud Philoſophos dividitur in tria ſpatia ſive tres regiones, Infimam, Mediam & Supremam. Infima eſt quæ nos ambit, & porrigitur ad eam partem, quæ radiorum Solis reverberatione non incaleſcit. Suprema eſt quæ infra cavum ignis & altiſſimorum montium juga intercipitur. Media quæ inter has duas jacet.

* EJUS PROFUNDITAS.

Profunditatem elementi Aeris Mathematici metiuntur ex diſtantia maxima Cometarum, quia probabile cenſent, aerem terminari aſcenſu exhalationum, neque ultra earum terminum aut locum ſe porrigere. Cometæ autem non excedunt diſtantiam LII. milliarium à terra, ut Geometricè demonſtrat *P. Nonius lib. de Crepuſc. & Albazen. lib. 7. ſuæ Perſpect.* unde etiam colligunt, tantam eſſe aeris profunditatem.

* QUALITATES.

Totum aeris elementum ſuaptè natura eſt humidum in ſummo gradu: calidum in excellenti, non tamen in ſummo. E
Ex accidente tamen variè immutatur. Nam ſuprema Regio propter ignis vicinitatem ſupra modum calet. Etiam infima per exhalationes & vapores, ac radiorum reflexionem incaleſcit. Media autem propter omnium horum abſentiam frigida eſt per antiperiſtaſin, aut per cœli influxum, qui illic frigus gignendæ pluviæ imprimit.

AERIS CALIDI FRIGIDIVE *tolerantia.*

Miſſus Mneſarchus ab Alexandro ad Gymnoſophiſtas, in patentem campum perductus, nudos homines offendit, fervent arena ſeſe exercentes. Horum alii alio ſtatu cœli & loci intemperiem ferre: hic veſtigio nixus ſtabat, ille immotis oculis ſolem ex adverſo intueri: ſedebant nonnulli lapidibus & ſcopulis immoti: alii in arenis jacebant, hic in faciem, ille ſupinus: omnes tamen ad tolerantiam & labores perferendos, velut ad primariam quandam virtutem, exercebantur. *Sab. lib. 2. c. 10. & Plin. lib. 7. cap. 21.*

AGESILAUS Rex Lacedæmoniorum jam ſenex, perſæpè F
ſine calceis & tunica prodibat in publicum, cum lacera veſte, idque matutino tempore hyemis. Cùm autem quidam eum objurgaret, quòd puerilius ageret, quàm ætatem illam deceret, reſpondit: Verùm, inquit, juniores civium, quaſi muli, ſi veſtem virilem induam, omnes oculos in me conjiciunt. *Ælian. lib. 7. de varia hiſt.*

PHOCION, Athenienſium dux, ruri aut militiæ nudus ſemper & abſque calceis incedebat, niſi frigus intolerabile incidiſſet: ita ut per jocum etiam milites intenſum gelu ſignificari, amicto Phocione, dicerent. *Plut. in ejus vita.*

Sinopenſis Diogenes, præter nuditatem corporis (ſolo enim pallio uſus eſt) nudis pedibus vixit, capite adaperto, frigoris & caloris æquè patiens, abjecto ligneo vaſe cavis manibus potare ſolitus. Extremæ vitæ temporibus crudam carnem veſci conatus eſt, ut nihil eſſet, in quo miniſterio alterius egeret, ſobrius naturæ cultor. *Sab. lib. 2. c. 10.*

Cùm aliquando copioſa nix cecidiſſet, interrogavit rex Scytharum quendam nudum, Anne frigeret? At is contrariò regem interrogavit, Poſſetne frigere frons? reſpondente ipſo, Non poſſe. Quare igitur, inquit, ego frigus non G
tolerem, cùm totus ſim nihil aliud præter frontem? *Ælian. lib. 7. de Varia hiſtoria.*

SOCRATES corporis erat patientiſſimi, quod ad omnem laborem occaluerat: ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi. Hinc jocus in Socratis callum. *Eraſm. in Adagiis.*

M. POR. CATO Uticenſis, tam patiens laboris & frigoris fuiſſe dicitur, ut nudis pedibus, aperto capite, brevi toga, hyemis tempore in publicum prodijſſe dicatur. *Plut.*

ADRIANUS Imp. frigora & tempeſtates adeò tulit patienter, ut caput tegeret nunquam. *Cælius lib. 3. cap. 23. Antiq. Lect. ex Dione.*

PESCENNIUS Niger, qui ſua virtute ad imperiũ conſcendit, militans neque ſub tecto manſit, nec tentorium aut frondea tabernacula ſubivit, ſed ſub dio manens, alios exemplo ſuo ad laboris patientiam hortabatur. *Fulgoſ. lib. 2. cap. 4.*

SEVERUM Imp. *Herodianus* ſcribit fuiſſe frigoris & æſtus patientiſſimum: media quandoque bruma, & agris omnibus gelu conſtrictis, aut nive & pruina albicantibus, in montes altiſſimos iviſſe aperto capite, ut ſuo exemplo milites ad laborem & alacritatem induceret. H

VENCESLAUS, Uratiſlai regis Boemorum filius, per mediam brumam mediaſque nives diſcalceatus incedere ſolebat. *Raviſius.*

Dives quidam ſuffultus veſtibus hyeme Bononiam proficiſcens, reperto inter montana Ruſtico, qui unica tantùm, & ea contrita tunica indutus erat, admiratus in tanta vi frigoris hominis patientiam, rogavit, quam ob cauſam non frigeret? Tum ille: Si tu omnes tuas veſtes ferres, ſicuti ego meas, nequaquam frigeres. *Poggius in Facetiis.*

Mollities.

LAPPONES quando veniunt in Sveciam pro cognitionibus dubiarum cauſarum, in itinere nec hoſpitium nec tectum ſubeunt, ſed agunt noctes ſub dio, quòd ſibi in concluſo aere ſuffocari videantur. *Zieglerus in Scondia.*

De Lappis & Finis Septentrionalibus ſcribit *Zieglerus in Scondia*, aeris frigidiſſimi libertate non delectari tantùm, ſed & juvari, ut quandocunque in Sveciam negotiorum cauſa veniunt, nunquam domos intrent, ſed ſub dio tantùm verſentur atque cubent pellibus involuti.

A

Ærarium.

* DEFINITIO & ETYMOLOGIA.

ÆRARIUM ab ære appellatum. *Varro de lingua Latina, lib. 4.* Græc. ὀπισθόδομος, ταμεῖον, ab Hebræo, *Tamen*, id eſt, abſcondere, recondere. Inde *Natnon*, theſaurus ſive ærarium publicum aut privatum. Vide Etymologicum Trilingue, Lugduni excuſum anno 1607. pag. 831. 832. ubi multa de ærario ſeu theſauro obſervatu digna occurrunt. Chaldæis *Thimion*, id eſt, theſaurus, ærarium. Syri vocant Ærarium, *Bethgazza*, domum divitiarum, ſeu theſauri. ☞ *Vide Theſaurus.* De Gazophylacio, Evangeliſtæ, *Marc.* 12. 41. 43. *Luc.* 31. 1. *Ioan.* 8. 20. Ærarium multiplex, Politicum, Eccleſiaſticum, Oeconomicum, Privatum.

Antiquiſſimi, nondum auro argentoque invento, ære utebantur. Nam priùs ærea pecunia in uſu hominum fuit: poſt argentea, deinde aurea ſubſecuta: ſed ab ea quæ cœpit, nomen retinuit. Unde & ærarium dictum, quia priùs æs tan-
B tùm in uſu fuit, & ipſum ſolum recondebatur, auro argentoque nondum ſignato, ex quorum metallis quamvis poſteà facta fuiſſet pecunia, nomen tamen ærarii permanſit ab eo metallo, undè initium ſumpſit. *Iſidorus lib. 16. cap. 17. de Origin.*

Ærarium populi erat Fiſcus principis, donec omnia in fiſcum ſuum tranſtulit. *Alciat. de verb. ſign.*

TRAJANUS Imp. Ærarium cum liene conferebat, quòd illo creſcente membra reliqua contabeſcerent. *Lang. in annotat. Nicephori.*

CONSTANS Imp. dicebat, opes publicas meliùs haberi à privatis pluribus, quàm ſi in unum Principis clauſtrum recondantur. *Eutropius.*

Differt autem Fiſcus ab Ærario, quod *in Trajani vita* ſcribit *Dion.* & ſignificat *Plinius*: Non eadem, inquiens, ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes. Ad fiſcum ſpectare videntur extraordinarii reditus, unde ſunt & confiſcationes recentioribus nuncupatæ. Romanum ærarium tributis conſtabat, & vectigalib. Vectigalia, ut *ex Cicerone* liquet *pro lege Manilia*, trium erant generum: ex agricolatione, mer-
C cibus exportatis, vel importatis, unde Exagogica dicebantur & Eiſagogica: denique ex agris, paſcuis. *Cæl. lib. 1. cap. 2. Antiq. Lect. Hotom. de verb. juris*: Ærarium populi, Fiſcum principis eſſe ſtatuit.

* QUI PRIMUM ROMÆ INSTITUERINT.

Romani referunt ærarii inventionem ad Valerium Publicolam, qui Saturni ædem conſtruxit; loci opportunitate ductus, quum omni aditu præſepto undique prærupturus, ut ab acceſſu munitus locus foret: & ideò voluit eandem ædem æris publici, legumque & ſenatuſconſultorum, tabularumque publicarum & ſignorum militarium, ſacrarium eſſe. Præter quod Saturni etiam ærarium. Nemis quoque & Tibure, ſacrarum pecuniarum theſauros ad incertos belli eventus, ſi externa vis ingrueret, longo tempore ſervari traditum eſt.

Macrob. lib. 1. Saturn, cap. 8. ait, Romanos ædem ſacram Saturni voluiſſe ærarium, quòd tempore quo is incoluit Italiam fertur, in ejus finibus nullum furtum fuiſſet commiſſum: aut quia ſub ipſo nihil erat cujuſque privatum:

D *Nec ſignare ſolum, nec partiri limite campum*
Fas erat, in medium quærebant.

Ideò apud eum locaretur pecunia communis, ſub quo fuiſſent cunctis univerſa communia. Eandem etiam rationem, cur ærarium in æde Saturni Romani poſuiſſent, refert *Iuſtinus lib. 43.*

Igitur Ærarium populus Roman. Romæ in æde Saturni habuit, *teſte Feſto*: illud ſanctius ærarium dicebatur, quod intentiori cura ſervabatur: in quo aurum viceſimarium dictum, quod ex viceſimis rerum exigebatur ad ultimos caſus, & in poſtremam populi Romani fortunam ſervabatur, quod & ab aliis incenſimarium, & ab aliis cimijarchion dicebatur.

* QUOTUPLEX.

Non unum ſolùm, ſed triplex aliquando fuiſſe Romæ ærarium conſtat. Unum erat, in quo civium tributa, ac ſociorum vectigalia, & præda Imperatorum aſſervabantur, quo ſumptus bellorum ordinarii ſuſtinebantur.

Alterum ſanctius ærarium appellatum, in quo aurum viceſimarium aſſervabatur, ad ultimos caſus reipublicæ, ut ſcribit *Livius*, dum agit *de bello Punico* 2. ſub anno 554. Fabio E
quintùm, & Flacco quartùm Conſulibus, ſub quibus apertum fuiſſe tradit, & tempore Lentuli & Cæſaris, ut eſt apud *Iulium Cæſarem lib. 1. de bellis civilib.*

Tertium fuit, in quo pecunia Gallici belli cauſa aſſervabatur, quam Gallico bello contulit populus, cum execrationibus eam inde non movendam, niſi bellum Gallicum impenderet, ut ſcribit *Appianus Alex. lib. 2. de bellis civil.*

Invenitur etiam ærarium Politicum, Eccleſiaſticum, Oeconomicum, Privatum.

* QUÆ ILLATA APUD ROMANOS.

Poſſunt colligi, quæ mitterentur in ærarium Romanum antiquiùs, ex *Lucano*, dum deſcribit expilationem ærarii totius factam à Julio Cæſare, de qua meminerunt *Dio & Plut.* Sic enim ait de theſauro condito in æde Saturni aperto.

——— *tum conditus imo*
Eruitur templo, multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſis, quem victi præda Philippi,
Quod tibi Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro, F
Quidquid parcorum mores ſervaſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum,
Victorique dedit Minoja Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit ſuper æquora Cypro.
Tunc orientis opes captorumque ultima regum,
Quæ Pompejanis prælata eſt gaza triumphis,
Egeritur, triſti ſpoliantur templa ruina.

* OPES IMMENSÆ.

Auri in Ærario pop. Rom. fuere S. Julio, & L. Aurelio Coſſ. ſeptem annis ante bellum Punicum tertium pondo 726. Argenti 92. millia, & extra numerum 375. millia. *Budæus* legit auri pondo 700. millia 26. argenti 92. millia, & in numerato trecenties ſeptuagies quinquies. Utraque ſumma ad 71. milliones aſſurgit, quot pecuniæ non fuerunt in ærario ſub Julio Cæſare. Singula pondo auri 12. unciis conſtant, & 100. aureos reficiunt. Singula pondo argenti decem aureos coronatos.

Luc. Scipio victo Antiocho bis millies in ærarium intulit, id eſt, quinque milliones. *Plin. lib. 38.*

Appian. lib. 2. civil. auctor eſt, J. Cæſarem confectis bellis G
quinque triumphis ſexaginta quinque millia talentorum ferculis præferenda curaſſe, è quibus 39. millones reficiuntur, & prætereà bis mille, & 822. coronas aureas, quæ duo millia auri pondo penderent, è quibus duo milliones exiſtunt.

TIBERIUS reliquit, *teſte Dione*, tricies, ac tres millies HS. unde 81. milliones excreſcunt. *Svetonius in Calig.* è 37. ponit tantùm vicies ſepties millies HS. id eſt 66. milliones, & 50. millia.

* ÆRARIUM MILITARE.

Fuit poſteà ab Auguſto ærarium militare novis vectigalibus additum, unde prompta pecunia ſtipendiis ſufficeret atque diviſis provinciis in prætorias, quæ populo erant vectigales, & præſidiales, quæ Cæſaris fiſco certum æs penderent. *Dio Caſſius in Auguſto, Strabo lib. ult.* Sicque explicat *Theophilus in paraphraſi*, §. *per traditionem*, *de rerum diviſ. apud Iuſtinianum*, tributaria prædia ab Imperatore cum onere tributi data ad alendos exercitus.

Carolus Magnus etiam ſimile ærarium militare videtur conſtituiſſe ex proprio cenſu, quem vocarunt Chunigoſteuram, & Fanolcheni: qui erat quinque denariorum, & H
modii unius frumenti per ſingulos annos, quem pendebat, qui militiam detrectabat morbo aut ſenectute. *Avent. lib. 4. Annal. Bojorum.*

* ÆRARII APUD ALIAS NATIONES INSTITUTIO ET USUS.

Reges Perſarum ex inſtituto Darii ex tota Aſia & parte Africæ colligebant annuatim auri talenta Euboica 14560. Tributum illud hunc in modum theſaurizabant: liquefactum aurum argentumque in fictiles fidelias infundebant, expletas mox fidelias frangebant, ex eoque argento aurove quoties pecunia indigebant, tantum concedebant, quantum uſus poſtulabat. *Herod. in 3.*

ROMANI forſan illos imitati, theſauros ærarii pretioſiores auri & argenti conflarunt in lateres, ne facilè paterent furibus. *Plin. lib. 33. cap. 3.*

*MINIÆ Regi, populi qui ab ejus nomine appellatus eſt, tam ampla fuere vectigalia, ut ſuperiores omnes divitiis vicerit, primuſque omnium, de quibus aliquid accepimus, ærarium ad pecunias ſervandas ædificavit, ait *Pauſan. in Bœoticis.*

Græci commune ærarium in Delo habebant, ut ſi quando communi conſilio Græciæ bellum gerendum eſſet, inde pecunias acciperent.

Athenienses Delphis theſauros omni ætate intactos habebant.

Macedones in oppido Quinda, juxta Tharſum, omnem gazam & pecuniam ad belli opus deponebant.

Syracusani in Labdalo caſtello munito.

Assyrii Suſis.

Cambysis gaza ſeu ærarium in oppido Gaza Palæſtinæ,

Dejotari, in Pelo Phrygiæ.

Lysimachi, Pergami.

Babyloniorum regum theſaurus erat in Zeugma urbe juxta Euphratem, ubi ærarium tributorum.

Hebræorum Corbona, ſeu Ærarium in Thrace, & Tauro Hierichuntis.

Erant in Templo theſauri, nempè pecunia ſeparata ad uſus & neceſſaria cultus divini, ut & theſauri Regum Iſrael ad neceſſaria belli, quemadmodum ſæpè de his mentio fit in ſacra pagina, ut 3. *Reg.*17. 4. *Reg.* 12. 14. *&* 24. 1. *Paralip. cap.*9. 26. *& ſeqq. & alibi.*

Capta urbe Jericho, Joſue & populus vaſtata urbe, omnia quoque ejus ſuccenderunt, excepto auro & argento, & vaſis æneis, & ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt. *Joſue cap.*6. *Verſ.*14.

Persarum regum quiſque ſuas ædes in monte faciebat, & theſauros & tributa quæ exigebant, ibi recondebat, verè adminiſtratæ rei documentum. *Strabo lib.*15.

Persepoli in Perſarum regia, fuit etiam arx munitiſſima triplici muro cincta, cum æneis portis & vallis intimis æreis, ubi theſauri, quibus ſervarentur pecuniæ, ingenioſiſſimè parati erant. *Diod. Siculus lib.*17.

* Præfecti.

Quæſtores olim ærario præpoſiti, qui cum nulli creati eſſent, anno urbis 709. Julio Cæſare abſente, ærarii cura duobus Ædilibus mandata eſt, *teſte Dione lib.*43.

Ædiles annis ferè 17. ærario præfuerunt, donec Auguſtus ſub annum 726. prætorios viros ſubſtituit. *Svet. c.* 36.

Auguſtus, inquit, auctor fuit, ut cura ærarii à quæſtoribus urbanis ad prætorios prætoreſve tranſiret. Auguſtus arbitratu Senatus præfectos illos ærarii voluit eligi, mox ad vitandum ambitum ſorte ducti ſunt ex prætorum numero.

Sub Trajano præfecti ærario fuere, non quæſtores, non prætores, ſed quibus mandaſſet Imperator. *Gellius lib.* 13. *cap.*23.

Constantinus Magnus Comites Largitionum ærario præfecit, Comites Privatarum caduci fuere, & præfecti fiſci. *Zozimus lib.* 5. ſub Honorio Attalum fiſco præfectum fuiſſe, ait. Privatæ veſtis vel lintēariæ magiſtri, theſaurorum præpoſiti, baphiorum ac textrinorum procuratores, rem ſacri ærarii procurare dicebantur *l.* 14. *C. de murilegul.* Supra omnes præfectus prætorio vectigalibus præfuit.

*Corippus lib.*4. *de præfecto ærarii.*

Patricio ſenior fulgens Calinicus honore,
Qui pater Imperii meruit jam factus haberi,
Gratior Auguſti ſervans pia gaza ſacelli.

ÆRARIORUM VARIA

Exempla.

Templum Hierosolymitanum opulentiſſimum fuiſſe, ex variis illius direptionibus agnoſci poteſt. Neque id mirum, cùm multas publicas pecunias Judæi præterquam ſacras haberent, & eas qui in toto orbe erant, Judæi quotannis conferrent. Mithridate certè Aſiam vaſtante, Judæi octingenta talenta apud Coos depoſuere, quæ Mithridates una cum iis quas Cleopatra regina ibi depoſuerat. *Joſephus lib.* 14. *cap.*13.

Neerda urbs Babyloniæ, frequens populo, & agro fertili, munitiſſima, cincta fluentis Euphratis & firmiſſimis mœnibus. Eidem flumini eſt & Niſibis appoſita. Judæi Babyloniam incolentes, freti locorum natura, ſacrum didragma, quod Deo ex more ſolent offerre, cæteramque votivam pecuniam, in his urbibus deponebant, tanquam in communi ærario, inde ſuo tempore tranſmittendam Hieroſolyma: quæ deindè à multis hominum illò deducebatur, metuentium latrocinia Parthorum, quorum ditioni tum ſuberat Babylonia. *Joſeph. lib.*18. *cap.*12. *Antiq.*

Græci, ſi quando communi conſilio bellum gerendum foret, in Delo inſula, quam ſedem bello delegerant, collatas pecunias ad belli opus tanquam in ærarium deponebant, fortè quòd difficilis aditu, & arcis in modum munitiſſimus locus foret, ab Ariſtide Athenienſi conſtitutus. *Plut. in Ariſt.*

Macedones in oppido Quinda juxta Tharſum, omnem gazam & pecuniam ad belli opus deponebant. Syracuſani in Labdalo caſtello munito. Aſſyrii autem Suſis. Cambyſis ærarium, oppidum Gaza in Palæſtina fuit. Nam Perſæ gazam ærarium vocant. Dejotari verò in Pelo Phrygiæ. Lyſimachi theſaurus Pergami ſervabatur: aliquando in Cetirizi promontorio. Jugurthæ in Thala & Capſa Numidiæ. Perſarum reges barbaras opulentias in montibus ponunt. Tigranis in Bambinſa & Oleno: Mithridatis in Peetra Armeniæ. Babyloniorum autem regum in Zeugma urbe juxta Euphratem, velut arce tutiſſima, tributorum theſaurus & ærarium eſſe conſueverat. *Alex. lib.*2. *cap.* 2.

Pergami theſauros ſuos ſervabat Lyſimachus Agathoclis filius, qui unus fuit ex ſucceſſoribus Alexandri. Mons turbineus eſt, in acutum apicem deſinens. Munitionis hujus cuſtodia & pecuniarum, quæ erant novem millia talentorum, commiſſa erat Philetæro Tyanenſi, qui à puero Spado fuerat. Contigit enim in funere quodam, cum ad ſpectaculum multi adeſſent, nutricem, quæ Philetærum infantem portabat, deprehenſam opprimi, adeò ut puer etiam affligeretur: erat igitur eunuchus. Is cum optimè eſſet educatus, dignus viſus eſt Lyſimacho, cui hæc crederentur. Sed cùm ab Arſinoe illius uxore diſſideret, locum ad defectionem perduxit, & ut tempora erant, ita ſe gerebant, videns ea ad novitatem apta. Nam propterea quòd Lyſimachus ab adulatoribus coactus fuerat Agathoclem filium interficere, Seleucus Nicanor reverſus illum ſuſtulit, & ipſe à Ptolemæo Ceranno ſublatus eſt, ac dolo interemptus. Dum res ita tumultuarentur, eunuchus ſeſe in arce continebat, & pollicitando ſemper validioribus ac propioribus obſequendo vivebat. Hoc pacto caſtellum ac pecuniam poſſedit annis viginti. *Strab. lib.*13.

In fano Delphici Apollinis varii variarum gentium theſauri dicti extructi fuerunt, in quibus non tam donaria & opes devictis hoſtibus ex manubiis partas reponere, quàm victoriæ monumentum conſecrare volebant. Hic Corinthii theſaurum exædificarunt, & in eo aurum de Lydis repoſuerunt: Syracuſii victis Athenienſibus, item Thebani & Athenienſes ob rem benè in bellis geſtam: Cleonæi peſtilentia liberati: Siphnii ob metalli fodinas. *Pauſ. in Phocicis.*

Romani ædem Saturni in faucibus Capitolii (qui mons Saturninus dictus eſt) ærarium eſſe voluerunt, quòd tempore, quo Saturnus Italiam incoluit, fertur in ejus finibus nullum eſſe furtum commiſſum, aut quia ſub illo nihil erat cujuſquam privatum:

Nec ſignare ſolum, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant.

Ideò apud eum locaretur populi pecunia communis, ſub quo fuiſſet cunctis univerſa communis. Macrob. lib. 1. Saturn. cap.8. Ad fidem pronius eſt, Plut. auctoritate in quæſtion. Rom. P. Val. Publicolam, qui Saturni ædem conſtruxit, loci opportunitate ductum, quum omni aditu præſepto undique præruptus & ab acceſſu munitus locus foret, eandem Saturni ædem æris publici, legumque & ſenatuſconſultorum, tabularumque publicarum, & ſignorum militarium ſacrarium eſſe voluiſſe.

In eadem Saturni æde fuit ſanctius Ærarium intentioris curæ: in quo aurum Viceſimarium, quod ex viceſimis exigebatur, ad ultimos caſus & in extrema fortuna populi Rom. ſervabatur: quod Incenſimarium, ab aliis Cimiliarchium dictum eſt. Ex quo C. Cæſar primo ingreſſu civilis belli, laterum aureorum ſex & viginti millia: percuſſæ verò monetæ, pondo ccc. millia, quod erat tot triumphis partum congeſtumque, & laſerpitii pondo centum & undecim, protuliſſe fertur. *Alex. lib.*2. *cap.*2.

Præter Saturni ærarium, Nemis quoque & Tibure, ſacrarum pecuniarum theſaurum ad incertos belli eventus, ſi externa vis ingrueret, longo tempore ſervari accepimus. *Alex. ibid.*

Theodoricus Oſtrogothus Veſtgothis à Clodovæo Francorum rege preſſis opem ferens per Hibbam comitem, Carcaſſonem, ut inquit Procopius, periculo obſidionis eripuit. Hanc enim Franci omnibus viribus oppugnabant, quòd in eo conditæ opes erant, quas ſenior Alaricus capta Roma evexerat: in his Salomonis pretioſa ſupellex, quam Romani Hieroſolymis deportaverant. *Sigon. lib.* 16. *Imp. occid.*

Belejezioro, quaſi dicas Albus lacus, ducatus Ruſſiæ, arcem habet natura loci munitiſſimam inexpugnabilemque, in qua Princeps Moſchoviæ theſaurum ſuum recondere ſolet, illicque tempore neceſſitatis, hoſtibus urgentibus, velut ad aſylum quoddam confugit. Abeſt autem Belejezioro à Moſchovia centum milliaribus, à Novogardia magna totidem. *Gaguinus in deſcript. Moſchoviæ.*

ÆRARII PRÆFECTI.

☞ *Quære Magiſtratus.*

ÆRARII ARCHITECTI.

☞ *Quære ſub Architectura.*

ÆRARII EXPILATORES.

☞ *Vide Tit. de Furibus.*

ÆRARIA MAGNIFICA.

☞ *Conſule Liberalitas ſumptuaria.*

Æs.

* Definitio & Etymologia.

Æs, metalli ſpecies, quam vocant Metallum Rubrum, Græci χαλκός. Illius etymon variè deſumitur, nam alii ab ἄϑω, id eſt, ſplendeo, alii ab *Eſch* Hebræo, quod ignem ſignificat; alii ab Eſſe, propter duritiem & durationem, deſumunt.

* Usus Illius Et Signatura.

Conſtat, veteres Judæos, & poſteà Romanos, rudem maſſam æris primùm, tum argenti, ac deindè auri, ad certum pondus vice pretii & pecuniæ adhibuiſſe: poſteà tamen utroque conſignaſſe, & ſignatam pecuniam conflaſſe: ut teſtatur *Plin. lib.*33. *c.*3.

Æs verò primùm apud Priſcos à Saturno ſignatum ferunt: apud Latinos, à Numa Pompilio II. Rege Rom. qui illud & imagine & nomine ſuo inſignivit. Indeque à Numa numus, ſive nummus, ait *Iſid. l.*16. *cap.*47. *Epiph. lib. de ponderibus in fine.*

Æs alii pecudum forma priùs ſignatum volunt à Servio Romanorum Rege. *Joan. Pier. lib.*10. *Hieroglyph. c.*26.

ÆRIS FODINÆ.

☞ *Quære Titulo locorum conſideratorum reſpectu naturæ ejus, quod locatur, ſive in loco conſtituitur.*

ÆRIS USUS.

☞ *Ad inſcribendas leges. Vide locum de legibus. Tit. Leg.* 12. *Tab. Vbi agitur de modo eas inſcribendi.*

ÆS ALIENUM.

Remiſſum, liberaliter condonatum.

Apud Hebræos ex Moyſis inſtituto, quæ tellus ſua ſponte ferret, quinquageſimo anno tribulibus & extraneis communia erant. Hunc Hebræi annum Jobeleum dixere, qui quinquagenarius dici poteſt. Id enim Jobel Hebraicè valet, ut Euſebius ſcribit. Hoc annorum ſpatio videntur mihi Hebræi à Protoplaſto tempora dimenſi: ut Græci poſteà Olympiadibus, Romanis Luſtris. Quinquageſimo igitur quoque anno debitæ relaxabantur pecuniæ, & Moyſis inſtituto libertate donabantur ſervi, prædia quæ viliùs væniiſſent, antiquis poſſeſſoribus redhibebantur. *Sab. l.*3. *En.*1.

Cùm Judæi è captivitate Babylonica in patriam redjiſſent, egeni ab opulentis ære alieno contracto ita urgebantur, ut omnes ſuas poſſeſſiones illis oppignorare & filias emancipare cogerentur: ſuadente Nehemia duce, conſanguineis ſuis egentibus nomina omnia remiſerunt: ne quos ipſe & antè eum Eſdras & Zorobabel è captivitate redemptos in libertatem vindicaſſent, ipſi jam redemptos emerent. 2. *Eſdr.* 5.

Auri numum centum millia civis quidam Pragenſis, recepto chirographo, Carolo IV. Imperatori mutuò dedit, eumque poſtridiè ad prandium invitavit, convocatis aliquot regulis, & convivium more Bohemiæ ſplendidiſſimum apparavit. Cùm verò potioni & caſeo, ut illi conſueverunt, locus eſſet (neque enim ſacchareis confectionibus utuntur) chirographum in catino aureo juſſit adferri. Admirantibus convivis, &, Quid hoc ſibi vellet, quærentibus: Cætera, inquit, fercula, Cæſar, communia tibi cum hiſce optimatibus fuere: hoc tui ſolius erit. Nam aurum, quod mutuavi nudius tertius, tibi dono, omneque debitum remitto. *Æn. Sylv. lib.*4. *de Alfonſo.*

L. B. Theat. vitæ Human. Tom. I.

Diſſolutum. Æs alienum alterius diſſolvere.

Spartiatarum defuncto Rege, alter qui ſuccedit, liberat æro alieno omnes eos, qui vel Regi vel reipublicæ aliquid debebant. *Herod. lib.*6.

Alexander Magnus, Aſia victa, fuit cùm in cæteris mirificè largus, tum æs alienum exercitus creditoribus de ſuo die uno diſſolvit. Ejus impenſæ univerſa ſumma centum & triginta minus ad decem millia talentum pervenit. *Plut. in Alex. & Diod. l.*17.

Quinqueviri apud Rom. creati, ut æs alienum pro his, qui ſolvendo non eſſent, de publico ſolverent, qui Menſarii nuncupati: quæ res quantùm ad patrum plebiſque conciliandos animos profuerit, difficile dictu eſt. Quippè cùm eſſet plebs obruta fœnore, pecuniis in foro poſitis, vim ingentem æris alieni diſſolverunt. *Alex. l.*3. *c.*16.

Justinus II. ab initio principatus ſui, ſuaſu Sophiæ conjugis, liberalis, æs diſſolvit alienum, conquiſitis omnibus fœnerationibus, extinctis chirographis, & redditis pignoribus. Quo facto animos ſimul civium & militum plurimùm ſibi conciliavit. *Cuſp. ex Zonara.*

Imperator Romanus Lacapenus, pœnitentia violatorum juramentorum ac perfidiæ correptus, ut Deum placaret, æs alienum civium nomine diſſolvit, divitum ac pauperum: in quam rem dicitur impendiſſe centenarios undeviginti, ac tabulas nominum combuſſit in purpureo, qui eſt ad Chalcen, umbilico. Pretia quoque domorum pro conductoribus pependit, à maximo ad minimum. *Cedren.*

☞ *Conſule Tit. Prodigorum: quatenus perfidiam aliquam in ære committunt alieno, doloque malo agunt. Alioqui oppreſſi ære alieno, ſub fortunæ malis erunt enumerandi.*

ÆS ALIENUM NON DISSOLVERE.

Plutarchus in libello, cui titulus, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, ſcribit, Perſis duo fuiſſe peccata: primum debere, proximum mentiri. Nam ea judicabant cohærere, quòd qui ſunt obærati, ſæpiùs cogantur mentiri. *Herodot. l.*1.

Python Athenienſis, orator audaciſſimus, captus ob æs alienum, è cuſtodia in Macedoniam aufugit. *Svidas apud Volat. lib.*18. *Antrop.*

De Æſchine Socratico Lyſias ita ſcribit apud *Athen. lib.* 13. *cap. ult.* Nonne caupones etiam qui propiùs habitant, quibus potum capiens non ſolvit, ob illum judicati ſunt, cauponaſque clauſerunt? ita gravia ab eo vicini patiuntur, ut domos ſuas relinquentes, alienas longiùs conducant. Tot verò primo die domum illius ad petenda debita ſibi conveniunt, ut tranſeuntes ad efferendum nunc mortuum convenire arbitrentur. Ita verò in Piræo viri judicarunt, ut minùs periculo propius ſit in Adria navigare, quàm hìc eſſe obvios. Multò magis ſua ea eſſe credit, quæ ad fœnus accepit, quàm ea quæ ſibi pater reliquit.

Vespertiliones videntur appellari, qui gravati ære alieno, luce domi ſe continent, ne à creditoribus appellentur, noctu prodeunt. *Vlpianus libro Pandectarum* 21. *Titul. de Evictionibus.*

Quid apud veteres Romanos æs alienum feciſſet, idque cumulatum uſuris foret, abducebatur à creditore, non in ſervitium, ut ſæpè, ſed in ergaſtulum quodammodo & carnificinam. Et, quod gravius multò eſt, abducebantur item filii, imò etiamnum nepotes; quod *Dionyſ.* ſcribit, & obſcurè ſignificat *Livius*. Si quid contradicerent, ſerviliter everberabantur, obſita erat ſquallore veſtis, fœdior corporis habitus, pallore ac macie perempti. Ad hæc ferè prolixa barba capillique efferebant ſpeciem oris, vix ut noſcitarentur in tanta deformitate. Hi ſunt, quos in hiſtoria nexos ſæpè dici audimus. Nam qui conflaſſent quidem æs alienum, nec tamen à creditoribus in vincula eſſent abducti, Obærati modò dicebantur. Necti verò pronunciabant eos, qui creditoribus traderentur. *Cæl. lib.*12. *cap.*20. *A. L.*

De Lino *Martialis Epigram. lib.*1.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Ad Quinctum, *idem lib.*8.

Solvere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hilas, luſcus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum, brevis eſt occaſio lucri:
Si fuerit cæcus, nil tibi ſolvet Hylas.

Christiernus I. Danorum Rex, quum ad conſtitutum

A terminum magnum à Lubicenſibus pecuniam mutuam accepiſſet, dedit fidejuſſores ex proceribus Zolſatiæ, hac lege; ut niſi præſtituta die pecunia numeraretur, Lubicenſibus facultas eſſet evocandi fidejuſſores in ſuam urbem, non egreſſuros, niſi ſolutione peracta. Inde factum eſt, ut multi pro Rege expenderint omnem facultatem, ſeque ac liberos in extremam pauperiem redegerint. Gravibus proindè querelis exortis, in arcem Zegeberg evocantur, ut quiſque rei ſuæ rationem iniret. Erant qui non aliud prętenderent, quàm ſimplicem literarum tenorem; regium aſſerentes, ut literis ſuis, in quibus Rex ipſe loqueretur, teſtimonio ſigilli fidem haberet, reponeretque, de qua illæ loquerentur, pecuniam. Alii poterant exactum rerum ſuarum calculum ponere, prætendentes illo loco tantam impenſam pro rege pecuniam, tempora quoque ſignantes: ibi fidem interpoſuiſſe, poſteaque ſolviſſe. Major erat numerus eorum qui initio acceptis dono ab Rege literis, quum pecunia nulla numeraretur, obligationem in litteris habuere. Uſuras item adjecere ſummæ, ut aliis datis literis cum ſorte prima cumularentur. Erat autem Rex ea facilitate, ut nihil petenti negare poſſet: B largus proindè etiam in dandis literis. Sed quum immenſa excreſceret ſumma, voluit omnes una ratione abigere, nemini reſponſurus de literis, quæ de nihilo conceptæ dicerentur. Erat in illis qui obſecraret, ut Rex omni ſubſtantia accepta, ſola ſibi arma cum equis militaribus relinqueret, & fidem, qua ſe pro Rege obſtrinxiſſet, impleret: ipſe abiturus in alienas terras, quomodo poſſet, militando panem inveniret. Non tenuere lacrymas qui audierunt, ſed ſemel indurato callo nihil humanum illi Rex reſpondit. Alius quidam, quum promptam pro Rege pecuniam multis vicibus impendiſſet, cum cæteris abire recuſavit, poſcens ad Regis præſentiam pervenire. Quum non admitteretur, ipſe depulſo janitore ingreditur, explicans, quibus locis & temporibus æs ſuum impendiſſet pro Rege, quoties pro eo capitis diſcrimen ſubiſſet, ſuaque ſe pecunia redemiſſet, non habiturum ſe, quin aliud audiat: alioquin cœlum & terram conteſtaturum, vitam impendere, quàm ſuos linquere parvulos pauperes malle. Illum Rex verbis placatum, juſſit ad conſtitutum diem ſua præſtolari. Reliqui flentes abiere, fidei exolvendæ cauſa ad extremam inopiam redacti. Vix C tandem eo mortuo conſenſere Eccleſiaſtici & politici proceres, ut pro quoquo vomere bini ſolverentur aurei. Sed quid hæc inter tot? *Crantzius lib.12. Saxoniæ cap. 7. & 26. & 32.*

Venceslaus V. Bohemorum Rex venatum proficiſcens, arcem quandam è privato homine, qui eam certa pecuniæ ſumma redemerat, poſſeſſam præteribat: comitibus quibuſdam inſuſurrantibus, Indignum eſſe, regiam arcem ab alio præterquàm à rege poſſideri. Rex diſſimulans, reverſus domum, ollas complures afferri, & in ordinem diſponi locarique jubet, ac in conſpectu illorum amborum comitum, unamquamque nomine illius ciens, qui arcem oppigneratam ſibi haberet, ſingulas bacillo confringebat, inſultans; Redde Regi, quod regium eſt, alioqui tergiverſanti caput ad hunc modum comminuetur. Nec multò pòſt ludicro in ſerium verſo, occupatorum alteri Gradecam cum oppido Lauto ad Albim ſito, alteri Zuicoviam per vim ademit. Sed viciſſim Hermanno Marchioni Brandeburgenſi, totam in Miſnia regionem, quam nuper magno ære parens ejus redemerat, vendidit. *Dubravius lib.19.*

Henricus VIII. Anglorum Rex, anno 1524. bello Gallico exhauſtus cenſum habuit, partim ut conſtaret de populi ſui D ſtatu, partim verò quo ex cenſu cognoſci liceret, quantum quiſque tributum conferre deberet ad communem reipublicæ utilitatem; qua æſtimatione habita, ille facilè novit populum non egentem eſſe, & gaviſus eſt: quoniam quæ populi ſunt, ſunt etiam Principis, quando opus eſt bonis ejus uti pro commodo totius regni. Quare à populo & præſertim à locupletibus accepit pecunias per mutationem, pro quibus ſyngraphas fecit, ut ſuo tempore redderet omnibus quidquid mutuatus eſſet, imitatus Henricum VII. patrem: qui cùm bellis propè continuis ab adverſa principum factione vexatus egeret, creditas ſibi pecunias accepit à ſuis, quas ad certum diem & diſſolvit. At Thomas Volſæus legatus Apoſtolicus, cùm tempus reddendi debiti inſtaret, unus ne id fieret obſtitit, prædicans neminem hominem repetiturum eſſe, id quod gratuitò Principi ſuo æquè de omnibus benè merito antè dediſſet. Qui ut imprudens nihil cogitabat, neque de creditorum futura offenſione animorum, neque de macula quæ nomini regio aſpergi poſſet. Ita pecuniæ creditæ ad ſuos creditores minimè poſteà rediere. E *Polyd. lib, 17.*

☞ *Æris alieni contracti pœna. Quære Correctio.*
☞ *Ære alieno fraudulenti. Vide Tit. de Contractibus fraudulentis.*
☞ *Conſule tit. de Carceribus, & Incarceratis.*

Æſtas.

☞ *Quære Anni tempora.*

Æſtus.

☞ *Fortiter Toleratus. Quære Tolerantia dolorum quacunque de cauſa provenientium.*
☞ *Item Tolerantiæ exceſſus. Conſule etiam Titulum de Puſillanimitate in tolerando.*

Per æſtatem non arborum aut ſaxorum umbræ Perſis ſuf- F ficiunt, ſed homines in his alia umbracula machinantes adeſſe ſolent. *Athen. l.12. c.4.*

Clearchus l.2. Vitarum, Lidi (inquit) viridaria ob delicias parantes, in umbra nutriuntur, Maximè ad delicias ſpectare putant, ſi radii Solis eos prorſus non attingant. *Ibid.*

Sybaritarum nonnulli umbraculis vias in agros ducentes, ne Solis radiis offenderentur, muniebant. *Athen. lib. 12. cap. 6.*

Cotys Rex Thracum per regionem ſuam comeſſabundus proficiſcens, ad fontes & loca arborum umbris opaca verſabatur, teſte *Athen. l.12. c.14.*

Alexander Magnus in Carmania arbôrum recentium & virentium ramis curru vectis, umbram captabat. *Plut. in Alexand.*

Quis non jure miretur, arborem umbræ gratia tantùm ex alieno petitam orbe ab iis, qui σκιατραφούμοι appellantur? Platanus hæc eſt, per mare Jonium in Diomedis inſulam ejuſdē tumuli gratia primùm invecta, inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter prima donata Italiæ, & jam ad Morinos uſque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes G vectigal & pro umbra pendant. Dionyſius prior Siciliæ tyrannus Rheggium in urbem tranſtulit eas, domus ſuæ miraculum, ubi poſteà factum gymnaſium. Apud Romanos tantum honoris iis increvit, ut mero infuſo enutriantur; compertum id maximè prodeſſe radicibus. Theſſalicus Claudii Imp. libertus prædives, veluti alter Dionyſius, in ſuburbana ſua in Italiam è Creta tranſtulit. *Plin. lib.12. cap.1. & Theophraſtus lib.4.* Cajus Princeps etiam in platano Veliterni juris, tabulata cujus laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula miraculo fuerant, epulatus eſt: eamque cœnam appellavit ille Nidum. *Cælius lib.25. cap.1. A. L.*

Ætas.

* Definitio & Etymologia.

NOmen Ætatis deductum eſt ab ævo, hoc eſt, certo vitæ humanæ ſpatio. Undè ætas, quaſi ævitas, per ſyncopen. Græci ἡλικία vocant, Hebræi *Heth* à verbo *Hattach*, in tempore fuit. Hinc ἔτος apud Græcos Annus eſt. H

* Ætatis Gradus, Et Ordines.

Secundum varios variè Ætas dividitur: & communiter numero ſeptenario ſecundum *Platonem à S. Hieron.* citatum *l.3. contra Pelag.* ætas ab infantia uſque ad decrepitam ſenectutem devolvitur.

Varro quinque ætatis gradus æqualiter partitur, unicuique annos 15. præterquam extremo, attribuit. Undè ſectio prima annum 15. attingens, pueros habet: Adoleſcentes ſecunda ad annum 30. Juvenes, ad annum 45. Seniores quartam conſtituunt ſectionem: in ultima omninò ſenes.

Hippocrates 7. ætatis gradus complectitur: gradumq; 1. dicit terminari anno 7. ſecundum 14. tertium duodeviceſimo, quartum 35. quintum duodequadrageſimo, ſextum 61. ſeptimum ad vitæ finem. Ita *Cenſorinus lib. de die Natali.*

Galenus lib. cui Tit. ὅροι ἰατρικοί, ætates quatuor numerat: Juvenum, vigentium, mediorum, & ſenum.

Aulus Gellius l.10. noct. Attic.28. redigit ad tres. *Tubero* ait, *lib. 1. hiſt.* ſcribit, Servium Tullium Regem pueros exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis 17. atque inde milites

A ſcripſiſſe, eoſque ad annum 46. Juniores, & ſuprà illum Seniores appellaſſe.

Sententia *D. Gregorii* receptiſſima eſt, quam habet *lib. 11. moral. c. 25.* Prima hominis ætas infantia eſt, cum etſi innocenter vivit, neſcit tamen fari innocentiam quam habet. Sequitur pueritia, in qua jam valet dicere quod vult. Succedit huic Adoleſcentia, quæ prima eſt ætas in operatione; quam ſequitur Juventus, ſcilicet apta fortitudini: ac poſtmodùm Senectus, etiam per tempus congrua maturitati.

Pythagoras vitam hominis quatuor ætatibus diſtinguit, viginti annos cuilibet, nempè pueritiæ, adoleſcentiæ, virilitati, ſenectuti, aſſignans. Proprietates & mores horum, inſigni carmine deſcripſit in ſua arte poetica Horatius. Verùm eaſdem Pythagoras confert proportione quadam cum quatuor anni temporibus. *Vide de his fusè comment. Coll. Conimb. in l. Ariſtotelis de Senectute c. 2.*

* Ætas ut pro certo tempore accipitur.

Juxta quam acceptionem dicitur Mundus varias habere ætates.

B Prima mundi ætas ab Adamo eſt uſque diluvium, annorum 1656. & uſque ad Diluvii finem 1657. colligitur *ex Gen. 5. & 6. cap.*

II. A diluvio uſque ad nativitatem Abrahæ, anni 292. *Gen. 10.*

III. A nativitate Abrahæ uſque ad exitum Hebræorum de Ægypto, anni 505.

IV. Ab exitu Hebræorum uſque ad ædificationem templi Salomonis, anni 480. ut patet 3. *Reg. c. 6.*

V. Ab ædificatione templi uſque ad captivitatem Babylonicam, anni 426.

VI. A captivitate Babylonica uſque ad annos Græcorum, à quibus computant Machabæi, fluxerunt anni 281.

VII. Ab annis Græcorum uſque ad Machabæos, anni 145.

VIII. A Machabæis uſque ad Chriſtum, anni 165.

Ita quòd Chriſtus, juxta hanc Chronologiam, natus ſit anno mundi 3950. *Hæc Cornelius à Lapide, comm. in Pentat.*

Ætates mundi alii aliter accipiunt. *D. Gregor. homil. 19. in* C *Evangelia* diſtinguit mundi ætates ab Adam uſque ad Noe, à Noe uſque ad Abraham, ab hoc ad Moyſen, à Moyſe uſque ad Chriſtum. Alii ſeptem ætates faciunt, & octavam dicunt fore ætatem reſurgentium.

Antiqui Poetæ, cum Græci, tum Latini, quatuor ætates ab exordio conditi orbis deſcribunt, eaſque ad metalla accommodant, aurum, argentum, æs, & ferrum, propter morum in pejus depravationem: ut videre eſt apud *Ovidium in Metamorph. l.1.* Quod argumentum mutuatus fuit ab *Heſiodo l.1.* Extat quoque Orphei vaticinium de Mundi ætatibus.

Ἕκτῃ ἐν γενεῇ κοσμὸς χ̃ παύσετ' ἀοιδῆς.

Hujus autem commenti Poetarum origo eſſe videtur deſumpta ex ſtatua illa magna, quam in ſomnis viderat Nabuchodonoſor apud Danielem, conſtante quatuor iſtis generibus metallorum.

☞ *Conſule Tit. de Anno, ubi pleraque jam dicta repetuntur, ordine, & methodo.*

Ætas deſumpta à variis eventibus.

In Genere, Sæculum felix.

D De Aureo ſæculo pleni ſunt Poetarum libri. *Ovid. 1. Metam.*

Aurea prima ſata eſt ætas quæ vindice nullo,
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metuſque aberant: nec verba minantia fixo
Ære ligabantur: nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine judice tuti.
Nondum cæſa ſuis, peregrinum ut viſeret orbem,
Montibus in liquidas pinus deſcenderat undas:
Nullaque mortales præter ſua littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.
Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iovis arbore glandes.
Ver erat æternum placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores:
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat, E
Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi ſtillabant ilice mella.

Emmanuelis I. Luſitaniæ Regis temporibus inopia in exilium pulſa videbatur: mœſtitiæ locus non erat: querimoniæ ſilebant: omnia choreis & cantibus perſonabant. Ejuſmodi ludis aula Regia frequenter oblectabatur. Nobiles adoleſcentes cum virginibus Regiis in aula, ſine ulla libidinis ſignificatione, ſaltabant: & quamvis honeſtiſſimis amoribus indulgerent, virginibus erat inſitum, neminem ad familiaritatem admittere, niſi illum, qui aliquid fortiter & animosè bellicis in rebus effeciſſet. Pueris enim nobilibus, qui in aula Regia verſabantur, non erat licitum, pallium virile ſumere, antequam in Africam trajicerent, & aliquod inde decus egregium reportarent. *Oſor. l.12. rer. Em.*

In specie. Sæculum, Tempus, Ætas Felix.

Literatura.

Alexandri ſæculum multis artibus & inſignibus felix ingeniis fuit proferendis. At non Alexandri hoc, ſed fortunæ fuit illorum: ut illi teſtis obtingeret & ſpectator is, qui cùm F optimè exiſtimare de operis elegantia, tum maximè poſſet remunerari. *Plut. orat. 2. de fort. Alex.*

Barbaris in Italiam irrumpentibus, ſtudia non ſolùm, quæ à Græcis accepta erant, Philoſophiæ & Medicinæ, ſed etiam quæ ipſi Romani tradiderant juris civilis, ita abjecta atque proſtrata fuerant, ut vix veſtigium ullum eorum extaret. At ſub Conrado III. Germanorum Rege univerſæ uno quaſi impetu lacertos movere, & in campum prodire viſæ ſunt literæ. Siquidem in Hiſpania Sarraceni duo, Averroes & Avicenna, ſingulari ingenio homines, Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia editis in ea commentariis illuſtrarunt: & in Italia, maximèque Bononiæ, jus utrumque lumen ingens accepit. Nam poſt Irnerium Bulgarus, Martinus, Hugo, & Jacobus, ad jus civile & voce & ſcriptis interpretandum certatim ſe mirifico accenſi ſtudio contulerunt: & Gratianus Monachus decretorum volumine ex multis Conciliorum, Pontificum, ac piorum Doctorum libris confecto, jura Pontificia plurimùm illuſtravit. Theologiam verò maximè induſtria, atque opera ſua Petrus Novarienſis, cognomento Lombardus, Epiſc. Pariſienſis, provexit, libris, qui dicun- G tur, Sententiarum conſcriptis. *Sig. l.11. regni Ital.*

Pietate, Sanctimonia.

Aquilejenſi Concilio, an. 381. contra Arrianos indicto, interfuere, ex Italia Valerianus Aquilejenſis, Ambroſius Mediolanenſis, Euſebius Bononienſis, Limenius Vercellenſis, Sabinus Placentinus, Philaſter Brixianus, Baſſianus Laudenſis, Heliodorus Altinas, Exuperantius Derthonenſis, Diogenes Genuenſis, & Anemnius Sirmienſis: quorum plerique poſt mortem in ſanctorum Confeſſorum relati numerum, adhuc magna ab his civitatibus religione coluntur. Tulit enim hæc ætas ingentem numerum ſanctorum apud Italos Epiſcoporum: quos, ut ſcribit Ammianus, tenuitas edendi, potandique parciſſimè, vilitas indumentorum, ſupercilia humum ſpectantia perpetuò, Numini, veriſque ejus cultoribus, ut puros commendavit & verecundos. *Sigon. lib. 8. Imp. occid.*

Sæculum poſt Chriſtum undecimum ſanctiſſimis viris nobilitatum. Germania Henricum II. Imp. Francia Regem habuit Robertum, doctum, religioſum, ſanctum: Ungaria Stephanum: Norvegia S. Olavum: Hildeſemenſis Eccleſia, H poſt Bernardum, Godehardum: Menvercum Paderborna: omnia nobili ſecundum ſæculum origine: ut erubeſcant noſtra ſæcula, quæ nihil tale meruerunt. Succeſſit humilitati faſtus, religioni vanitas, ſanctitati rapacitas & immunditia. *Crantzius lib. 4. Metrop. c. 9. & l. 5. Sveciæ, c. 10.*

Juſtitia.

☞ *Vide ſuo loco. Felices ſubditi ob Principes bonos.*

Ariſtides Athenienſis, ob inſignem juſtitiæ opinionem Juſtus cognominatus, univerſæ Græciæ populis cenſum deſcripſit, tanta æquitate & juſtitia, ut Græcorum felicitas ſit dictus; & quæ eum tulit, aurea ſit ætas appellata, ac ea quæ Saturno quondam Rege fuerat. *Sabell. l. 4. c. 4.*

Annonæ proventu.

An. M. 2230. à Diluvio 574. fertilium ſeptem annorum primus. *Gen. 41.*

An. M. 2237. Diluvii 581. famis univerſalis ſeptennalis primus. *Gen. 41.*

Olavo III. apud Danos regnãte, per integrũ ferè decenniũ fames horrenda fuit. At eo mortuo, cùm Ericus frater ſucceſſiſſet,

A ceſſiſſet, tanta ſucceſſit ubertas, ut ſinguli cujuslibet annonæ modii totidem denariis permutarentur. Sed & continuis regni ipſius annis eadem ubertas permanſit. Quo evenit, ut non ſolùm ex morum, ſed etiam temporum placidiſſimo uſu, Boni cognomen acceperit. *Saxo l.* 12.

Salubri conſtitutione.

Unum omninò quinquennium fuit, quo ſenator nullus Romæ moreretur, cum Flaccus & Albinus cenſores luſtrum condidere, uſque ad proximos cenſores, ab anno urbis quingenteſimo ſeptuageſimonono. *Plin. hiſt. nat. lib.* 7. *c.* 48.

Pace, Tranquillitate publica.

☞ *Conſule Titul. de Sæculo.*

D. Hieron. in c. 2. *Iſaiæ* ſic ſcribit: Veteres revolvamus hiſtorias, & inveniemus uſque ad 27. annum Cæſaris Augusti, cujus 41. ann. Chriſtus natus eſt in Judæa, in toto orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ita ut cæderent & cæderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando ſub Præſide Syriæ Cyrino primò eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, & Euangelicæ doctrinæ pax Romani imperii præ-
B parata, tunc omnia bella ceſſaverunt, & nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad prælia, ſed ad agrorum cultus militibus tantùm legionibuſque Romanis contra barbaras nationes bellandi ſtudio delegato, quando impletus eſt Angelorum ille concentus, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: & in diebus ejus orta eſt juſtitia in multitudine pacis.

Ætas Clara.

Olymp. 103. extiterunt viri eruditione clariſſimi & præſtantes: Socrates orator, & ejus diſcipuli, Ariſtoteles Philoſophus, Anaximenes Lampſacenus, & Plato Athenienſis: item poſtremi Philoſophi Pythagoricorum, & Xenophon, qui hiſtorias conſcripſit jam ad decrepitam uſque ſenectutem provectus. Etiam Ariſtippus & Anthiſthenes. Præterea Æſchines Sphettius Socraticus. *Diod. l.* 15.

Triumviros Eccleſiaſticos, nempè Gregorium Nazianzenum, Baſilium, & Chryſoſtomum, una tulit Ætas apud Græcos pietate pares, nec diſpares eruditione, ſed dictionis charactere diſſimiles. Cum quibus noſtri conferri poſſunt: Chryſoſtomo Auguſtinus, Nazianzeno Ambroſius, Baſilio
C felici facilitate Lactantius, Scripturarum verò cognitione Hieronymus. *Gilb. Cognatus l. Narrat.*

Sub Carolo Pulchro Francorum Rege, fuere ſublimia ingenia, eruditiſſimique viri. Sæculum illud literatura floruit. *Æmil. lib.* 8.

Sub Bonifacii IX. infeliciſſ. Pontificatu, unum tamen bonum in Italiam advectum eſt. Nam Chryſoloras Bizantius literas Græcas attulit, quæ annis jam quingentis in Italia conticuerant. Hinc Græcæ Latinæque linguæ ſcholæ exortæ ſunt, Guarino, Victorino, Philadelpho, Ambroſio monacho, Leonardo Aretino, Caroloque, ac pleriſque aliis, tanquam ex equo Trojano in lucem prodeuntibus, quorum æmulatione multa ingenia deinceps ad laudem exercitata ſunt. *Platina.*

* Sæculum xv. ſi aliud ullum (niſi quod ſæculum iv. à Chriſto nato, admodùm illuſtre Scriptoribus eruditis fuerit) omni eruditione expolitum, & clariſſimis in omni diſciplinarum genere Doctoribus & Scriptoribus exſtitit. Quod certè ſingulari Dei providentiæ ſuaviter omnia diſponentis debemus. Nam cùm utroque illo ſæculo variæ hæ-
D reſes Eccleſiæ unitatem proſcindere fuerint conatæ, miſit Dominus meſſis operarios inconfuſibiles in meſſem ſuam qui veritatis Spiritu errorum tenebras diſſiparent.

Suſcitatus quoque hoc ſæculo Latinæ puritatis nitor, pulſa, quæ lapſu temporis irrepſerat, barbarie. Cujus cultor eximius & promotor fuit hoc tempore Eraſmus Roterodamus. Magnus vir, ſi intra politiores literaturæ terminos, ingenii ſui imbecillitatem concluſiſſet, ſuoque ſe pede menſus fuiſſet. De eo memoratur, quòd nimia ſcribendi licentia, & quemcumque ac quæcumque carpendi facilitate, ova poſuerit, quibus incubarit Lutherus, & tam enormem fœtum excluſerit, qualem jam integro ſæculo experitur Chriſtianus orbis.

In Genere. Sæculum, Ætas Infelix.

De Ferrei ſæculi moribus tum alii poetæ, tum *Heſiod. primo Operum & Ovid.* 1. *Metamorph.*

De duro eſt ultima ferro.
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum,
Omne nefas: fugere pudor, verumque fideſque:
In quorum ſubiere locum fraudeſque dolique,
Inſidiæque & vis, & amor ſceleratus habendi. E
Vela dabat ventis, nec adhuc benè noverat illos
Navita, quæque diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultavere carinæ:
Communemque prius, ceu lumina Solis & auræ,
Cautus humum longo ſignavit limite meſſor:
Nec tantùm ſegetes, alimentaque debita dives
Poſcebatur humus: ſed itum eſt in viſcera terræ:
Quaſque recondiderat, Stygiiſque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes,
Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Sub imperio Theodoſii Junioris accidit terræmotus hor- F rendus, præterea fames, peſtes, ferarum agreſtium in homines graſſationes, chaſmata, exuſtiones, grandines maximæ, nivium & frigoris vis, Solis eclipſis tanta, ut ſtellæ medio etiam die conſpectæ ſint: quam decimo Honorii Imperii anno accidiſſe, in Floribus ſuis ſcripſit Gigas: fulgor, in cœlo coni formam referens, mirabili planè & vario maximè per diverſas cœli partes metu: ignes cum terræmotibus è cœlo quaſi rupto delapſi: trabium in ædibus & tectorum mirabiles & prodigioſæ rupturæ, & commiſſiones inter ſe aptæ rurſus. *Niceph. l.* 13. *c.* 36.

Tempus extremum periculoſum, & Antichriſti ſeductionibus obnoxium fore, *Apoſt.* 2. *ad Tim.* 3. teſtatur: Hoc autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Itidem D. Petrus 2. *Petri* 2. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur. Item Judas Apoſtolus *c.* 1. Vos autem, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambu- G lantes in impietatibus.

In Specie. Ætas Infelix.

Portentis, Monſtris.

Sub M. Antonino Pio Imp. adverſa hæc provenerunt. Fames ingens, Circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt: quæ omnia mirificè inſtauravit. Et Romæ incendium, quod trecentas quadraginta inſulas vel domos aſſumpſit, & Narbonenſis civitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe forum arſit. Fuit & inundatio Tiberis. Apparuit & Stella crinita. Natus eſt & biceps puer, & uno partu mulieris quinque pueri editi ſunt. Viſus eſt in Arabia jubatus anguis major ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mæſia in culminibus arborum natum eſt. Quatuor præterea Leones manſueti, ſponte ſe capiendos in Arabia præbuerunt. *Capitol.*

Anno 557. Oriens ſævis atque inauditis ante malis eſt divexatus, illuvionis, peſtilentiæ, tempeſtatis, terræmotus. Nam mare limitibus naturalibus ad tria millia paſſuum Thraciam verſus exceſſit, atque agris hominibuſque multis H oppreſſis, in alveum priſtinum rediit. Sequuta eſt inde Conſtantinopoli tanta tamque dira peſtilentiæ lues, ut mortui triduum inſepulti jacerent, non ſufficiente propter multitudinem cadaverum Libitina: mox, cum ne currus quidem à Juſtiniano Imperatore curari ſatis valerent, in litus ejecta ad ſex dies inhumata manſerunt, & fœtore intolerabili loca proxima infecerunt. Menſibus Julio & Auguſto illa maximè clades accepta. Quinetiam per eoſdem dies inſolitæ cœli tempeſtates atque horribiles extiterunt: erat autem continuus propè cœli fragor, & paſſim micantium fulminum ſpecies: quæ non ſolùm oculis auribuſque attonitis terrorem, ſed etiam ſuſpenſis animis religionem incutiebant: quibus nonnulli etiam ſomnum capientes aduſti ſunt. Fulgura verò terræmotus adeò atroces & ſævi in omnibus terris ſunt conſequuti, ut meritò homines vererentur, ne uno terræ hauſtu urbes abſorberentur. Hoc terræmotu ſedato, rurſus mare ad duo millia paſſuum extra fines excurrit: alterque terræmotus, jam ineunte hyeme, priorem excepit, qui multò, quàm ille, non ſolùm minacior, ſed etiam perniccioſior fuit. Præcipuè Conſtantinopoli circa

mediam

A mediam noctem, civibus & alto & profundo ſomno ſopitis, repentè concuti omnium fundamenta ædificiorum cœperunt; iſque motus uſque adeò ſæpè cum inſigni incremento eſt repetitus, ut homines, ſomno diſcuſſo, periculi inſtantis magnitudine conſternati, altiſſimos ejulatus & flebiles complorationes ediderint, ſupplice ſque vota ad Deum effuderint: tum ſonitus quidam gravis, feruſque ſtridor è terra erupit, qui ſæviſſimis ventorum agminibus quaſi ſtipatus, ipſum terrorem ingeminavit: quo territi homines, mente propè attoniti, ex ædibus ſeſe in publicum effundebant, ac ſub dio votis faciendis manebant, omniaque nivis algoriſque incommoda ſuſtinentes, tectis ſuccedere detrectabant. Licebat autem cernere mulieres nobilitate & caſtitate inſignes, temerè cum viris alienis, omni pudoris confuſo diſcrimine, commiſceri: viros virtute præſtantes ab ignobilibus, dominos à ſervis, magiſtratus à privatis in ordinem redigi, omnibus mortem in proximo eſſe putantibus: multis in partibus ædes totæ procubuere: multis in ædibus tecta,
B compage ipſa ſoluta, ita divulſa ſunt, ut cœlum aſpiceretur, ac mox ita cojerunt, ut fractura non cerneretur: alibi columnæ ex ſuperiore ædificii parte vi excuſſæ ad longinquas ædes, velut unda, emiſſæ fragore ingenti omnia contriverunt. E plebe plurimi periere, è nobilitate ſolus Anatolius, vir conſularis, in lecto cubans, marmoris fragmento colliſus eſt. Luce autem ſubſequente, cives ſe inter ſe intueri, ſalutare, & complecti, & perinde ac ſi deſperata ſalute jamjam eſſent mortem oppetituri. Inde per decem pòſt dies ipſo continuato tremore, reliqua ædificia aut labefactata, aut certè tentata ſunt. Quæ res homines coire coegit, & ſupplicationes Deo facere, & carmina expiatoria canere. Juſtinianus autem religione perfuſus, in feſto Natalitiorum & Theophaniorum per urbem, poſita Auguſtali corona, inceſſit, nec convivia ſolemnia celebravit, ſed eorum impenſas in egenos tolerandos transfudit: vulgò etiam æquitas in commerciis & judiciis coli cœpta, & omnes turpitudinis ac flagitiorum labes rejectæ. Alii, mutato vivendi more, honoribus opibuſque relictis, vel in ſacra loca collatis, vitam ſibi ſolitariam depoſcebant. Per noctem primores civitatis pu-
C blicas vias obeuntes, mendicos, atque egentes, cibis oblatis, veſtibuſque, levabant. Hunc terræ motum tam inſignem ſequuta eſt altera inſignior peſtilentia, quæ integros quatuor menſes urbem attrivit. Moriebantur plerique repentè, tanquam apoplexia correpti, neque ultra quintum diem ſuperabant; morbus autem priori ſimilis: nam febres ad bubonem intumeſcentem adjectæ, eum, quem invaſerant, extinguebant: nonnulli verò nec febre occupati, nec dolore ullo vexati, dum ſecretò corpora curarent, & domi, & foris, ut cuique contingebat, cadebant: præcipuè juvenes vis illa morbi abſumebat, mares magis, quàm fœminas: nam illæ diſſimili lue conficiebantur. *Sig. l.* 20. *Imp. Occid.*

Bellis.

Honorium Imp. non tam in adverſis rebus conſtantia illuſtravit, quàm captæ primùm ſub eo Romæ infamia deformavit. Eo regnante, in Pannoniam Hunni, in Hiſpaniam Vandali, Alani, Suevi, & Gothi: in Galliam Alani, Burgundiones, & Gothi, certis ſedibus permiſſis, accepti. *Sigonius l.* 11. *Imp. Occid.*

Sæculum ſeptimum poſt Chriſtum, ſi quod aliud, turbis & mutationibus fuit feraciſſimum. Nam Perſæ & Ara-
D bes in Oriente Aſiam & Africam crudeliter afflixerunt, & de Imperio Romano multa regna amputaverunt, religionemque Mahometi longè latèque diffuderunt, vaſtatis Eccleſiis Chriſti, & vera doctrina & cultu Dei, juxta Danielis vaticinium de cornu parvulo. In Europa Hunni, Avares, Bulgari, Gothi, Longobardi, atque etiam Romani Pontifices, bonam partem de imperio præciderunt: ac ſi in Romani Imperii direptionem conjuraſſe viderentur.

Barbarie.

☞ *Ex Tit. Indoctorum regum, exempla quædam huic loco inſerviunt. Item ex Tit. Doctorum contemptus, quando non privatum, ſed publicum redditur hoc malum.*

* *Hereſibus.*

Quartum Sæculum à nato Salvatore, variis hereſum monſtris infame, magnamque calamitatem Eccleſiæ attulit. Verùm è contrà, Deus eidem de illuſtribus viris providit, qui lingua & calamo eadem proſtrarunt, & pleraque ita in nihilum redegerunt, ut nullum veſtigium, præterquàm in ipſiſmet eorum ſcriptis exiſtat.

De Sæculo xv. res notior eſt, quàm ut ſcribatur, quæ doctrinarum, errorum, ac ſceleratorum dogmatum por- E tenta, eodem in orbem invecta: quot diſſectæ in una religione (ſi tamen ulla talis) Sectæ. Diceres, malorum omnium compendium, & errorum diluvium, uno eodemque tempore invectum, portaſque inferorum valvis patentibus univerſum Satanæ genus in Chriſti Eccleſiam emiſiſſe. ☞ *Vide Tit. de Hæreſib. in Elencho hæreſum noſtri temporis.*

Æternitas.

* Definitio & Etymologia.

Æternitas eſt interminabilis vitæ ſimul tota & perfecta poſſeſſio, *ſecundum Boethium lib.* 5. *de conſ.* Græcè ἀκονία, eſtque velut æviternitas. Hoc autem inter æternum & perpetuum intereſſe volunt, quòd illud principio & fine careat: hoc autem finem non habeat. *Holam* Hebræi appellant æternitatem, à voce Halam, occultavit, abſcondit. F

Æternitatis Desiderium.

Ut prætereamus, quę Æternitatis largitor diverſis in locis de ea dixit, & annuntiavit: Eugenius Antiſtes, raræ virtutis vir, cùm jam in animum induxiſſet, potiùs pro Catholica fide mortem oppetere, quàm vel ad latum unguem ab eadem ſecedere, ac ſententiam rogaretur, reſpondit: Illud eſt vita æterna, mori pro Juſtitia. Quàm benè ille cum Regio Pſalte annos æternos in mente habuit! quos ut lucrifaceret, momentaneos hos lubens amiſit. *Ex Gregor. Turonen. hiſt. Franc. l.* 2. *c.* 3. *Beyerlinck in apophth. Chriſt.*

* Quanto labore S. Franciſcus ad æternitatis bravium in hac vitæ palæſtra decurrerit, ſupervacaneum foret in præſenti referre. Illud tamen non præteribo, quòd cùm ob aſſiduas & ubertim fluentes lacrimas oculorum ægritudinem incurriſſet, ab iiſque ſibi abſtinendum, ni corporei luminis uſu privari vellet, medici conſulerent, ſuſpirans dixerit: Non eſt ob amorem luminis, quod nobis cum muſcis commune eſt, viſitatio lucis æternæ vel modicum repellenda, quia non propter carnem ſpiritus, ſed propter ſpiritum caro, lucis be- G neficium accepit. *Ex Sur. Tom.* 5. *in vita.*

Idem interrogatus, qui tam tenui amictu hyemalis algoris aſperitatem temperaret, reſpondit: Si ſupernæ æternæque patriæ flamma per deſiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur. *Sur. Tom.* 5. *in vita, & ibid.*

Non Recaredum Hiſp. Regem ſæculares curæ, non intentatæ mortis metus, ab hoc æternitatis deſiderio avocarunt. Hiſpania quippe Ariana labe purgata, avitam complexus eſt fidem; ac pater, ni eam abneget, necem minatur: cui is; Benè, inquiebat forti conſtantique animo, mecum agis pater: ſiquidem ut Regnum hoc abs te jugulatus amittam, æternum cum Superis pro caduco hoc conſequar. Regia illa vox, & cedro digna. *Ex Egnat. l.* 1. *c.* 1. *ibid.*

Thoma Moro, cui parem Anglia nunquam vidit, verè tali cive indigna, impiiſſimis Henrici VIII. decretis carceri mancipato, quòd improbiſſimis ejuſdem dogmatibus ſubſcribere recuſaret: cùm ad expugnandam ejus conſtantiam multi Principes nequidquam veniſſent, uxori tandem imperatum, viro ſuadeat, ne ſe, liberos, bona omnia, & famam, H vitamque, qua frui adhuc poſſet, pro derelictis haberet: cui ille: Ecquandiu, inquit, Aloyſia mea, potero hac vita frui? Totis viginti, & ampliùs annis, illa reſpondit; ſi Deo ita viſum. Viſne, ergo, ait Morus, æternitatem viginti annis commutem? Næ tu imperita mercatrix es mea uxor: nam ſi annorum viginti millia diceres, aliquid tu tamen diceres: ſed quid ad æternitatem? *Sander. de ſchiſm. Anglic. l.* 1. *Th. Stapl. in vita ejuſdem Beyerl. ſupra.*

☞ *Vide Tit. de cæleſti gloria, vita æterna, &c.*

Xeuxis Pictor celeberrimus, rogatus, cur tam operosè & ſedulò imagines ſuas quaquaverſum depingeret; reſpondit: Pingo æternitati. Ita Chriſtiano dicendum, Laboro æternitati. Meminit *Corn. à Lapide in c.* 40. *Exodi in fine.*

Æternitatis Symbola.

B. Auguſt. loquens de Æneo ſerpente, Dei juſſu in deſerto erecto, & in eo Chriſti Symbolum demonſtrans, illius æternitatem ſignificatam indicat per materiam ipſam: Erat namque æneus. Eſt autem æs duriſſimum, & quaſi æternum. Unde & cœli ære ſolidiores deſcribuntur.

Præcepit Deus olim in veteri Teſtamento in Levitico, ut nihil ſibi offerretur, quod non eſſet ſale conditum.

Sal

A Sal enim ſymbolum eſt æternitatis, quam proteſtabantur illi qui offerebant ſacrificium ſalitum. Quippè ſal diutiſſimè conſervat corpora, & quodammodo reddit immortalia. *Levit. c. 4.*

Etiam Ramus olivæ quam detulit columba ad arcam, æternitatem indicavit, ſecundùm Pierium *in comment. c. 8. Gen.* cujus ſymbolum oliva.

Ægyptii per Baſiliſcum æternitatem ſignificabant, quòd ſerpens ille vi interfici nequeat, cum aerem inficiat, & veneno noceat, ne quis audeat appropinquare. *Vide Pierium l. 14. c. 10. Hieroglyph.*

---

* Æthiopia.

Duplex eſt in S. Literis: ut notat *S. Auguſt. q. 20. in c. 12. Num.* Una Occidentalis ultra Ægyptum: puta Abyſſia, ubi modò regnat Proto-Joannes, quæ ſola modò Æthiopia vocatur. Altera Orientalis, quæ eſt Arabia, quam incolunt Iſmaelitæ, Madianitæ, Amalecitæ, & vocantur B Æthiopes: quomodo dicitur uxor Moyſis fuiſſe Æthiopiſſa *Num. 12.* quæ tamen erat Madianitis.

Æthiopes olim imperium latè extenderunt, potiti Ægipto, aliiſque Orientis & Aquilonis Regionibus. Unde & nomen Æthiopia illis adhæſit.

Unde Dicta.

Ab Æthiope Uulcani filio nomen ſortita fuit hæc Provincia: ita *Plin. l. 6. c. 30.* vel ab αἴθω, quod eſt ardeo; & ὤψ, quod eſt adſpectus: quia incolarum facies Solis ardore aduſta eſt: quod tum eveniſſe comminiſcuntur Poetæ, quando Phaeton Solis currum regendum ſuſceperat, & ignarus viæ terram illam aduſſerat. De quo *Ovid. lib. 2. Metamorph.*

Reges Æthiopum.

☞ *Quære Tit. Magiſtratus Chronologicè conſideratus De Rege ſuo, Æthiopum commentum.*

Narrat *Genebrardus*, & *Munſterus in Chronol. & Coſmogr.* Æthiopas exiſtimare, natum Regem ſuum, qui ſit albo colore, ex ſtirpe David, jam inde ex quo Regina Saba (nomine Maqueda vel Nicaula) filium Salomoni peperiſſet, ei nomen David imponendo. *Meminit Lorin. in Acta Apoſt. c. 8.*

C Color nativus Æthiopum.

Æthiopes nigro colore toto corpore naſci, dentibus exceptis, quos ebore candidiores habent, notorium eſt; non tamen perinde omnes in ſummo gradu nigri ſunt, nam quidam fuſci duntaxat apparent & ſubnigri tantùm. Cauſa hujus rei eſt ſolarium radiorum virtus & vicinitas. Unde gentis nomen apud Græcos ab αἴθω, quod ſignificat ardeo, uro; & voce ὤψ, quod faciem ſignificat, deſumitur. Poetæ cauſam referunt in Phaetontem, quem poſt ſuſceptum regimen ſolaris currus, volunt iſti Regioni nimiùm appropinquaſſe, eamque aduſſiſſe. *Vide lib. 2. Metamorph.*

Ævum.

* Definitio & Etymologia.

Ævum Græcè αἰών, quod deducitur ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὤν, quod eſt ſemper eſſe, continetque durationem temporis infinitam, etiam juxta Ariſtotelem. Latini æternitatem: D Hebræi עולם *hholam*, cum ח: aliàs ſignificaret annum Jubilæi, vocant. De quo paulò antè. ☞ *Tit. Æternitas, & Ætas*, nonnulla dicta fuerunt.

Affabilitas.

* Definitio & Etymologia.

Est Affabilitas, ſuavitas quædam morum, atque ſermonis comitas, in hominum conſuetudine uſurpata. Quomodo Eccleſiaſticus dicit: Congregationi pauperum te affabilem facito. Et *Cicero l. 2. Offic.* Difficile dictu, ait, quantoperè conciliat animos hominum, comitas affabilitaſque ſermonis. Græcè εὐπροσηγορία appellatur, & Hebraicè *Chen*, id eſt, gratia, dulcedo, à verbo *Chanan*, benefecit.

Præcepta.

Exſtant epiſtolæ Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, atque Antigoni ad Philippum, quibus præcipiunt, ut benigna oratione animos multitudinis ad benevolentiam alliciamus. *Cicero ſuprà, & Eccl. c. 4.* monet, nos E affabiles faciamus pauperum congregationi.

ADHIBITA ET USITATA.

Exempla S. Scripturæ.

Moyses mitiſſimus omnium hominum, omnes populi ingrati contumelias ſolitus abſorbere; etiam cum eas Deus vellet vindicare, populum ejus indignationi ſubducebat. Atque poſt illatas injurias, miti ſermone eum ſolabatur, oraculis deliniebat, fovebat operibus. *Amb. l. 2. off. c. 7.*

S. etiam David electus ex omnibus ad plebem regendam, quàm mitis erat & humilis ſpiritu? ut qui Rex conſtitutus, omnibus ſe æquabat, in imperio manſuetus, patiens in convitio, paratus magis ferre quàm inferre injurias. Ideoque omnibus charus, officiis & comitate plebem ac principes ſibi obligaverat. *Idem ibid.*

Etiam filius ipſius Abſalon hoc affabilitatis artificio ſe in Regem conſtituere, & populum in favorem ſuum pellicere moliebatur. Ideòque adventantes comiter excipiebat, dicens: Quis me conſtituit judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juſtè judicem? Sed F & cum accederet ad eum homo, ut ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum. *2. Reg. 2. 13.*

Abigail uxor Nabal Carmeli, poſtquam audiviſſet, quæ Nabal vir ſuus in Davidem contumelioſè dixerat, jamque de eodem ſibi metueret, paravit munera, & venit in occurſum ejus, & procidit coram eo in faciem ſuam, & adoravit, multoque ſermone, blandiſque verbis, illius furorem mitigavit, ſic ut diceret David: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit te in occurſum meum hodie, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & ulciſcerer me de manu mea. *1. Reg. c. 25.*

Admirabilis quoque affabilitas in S. Paulo elucet, dum res ipſius geſtas quas Lucas deſcripſit, & epiſtolas conſideramus. Quid enim aliud ſpirant, præter morum verborumque ſuavitatem & comitatem? Docent id ſalutationes humaniſſimæ omnibus epiſtolis adſcriptæ, & elogiis ornatæ: docent adhortationes conſolationis plenæ: docent mores quos inter primos illos Chriſtianos obſervavit: Cùm enim liber eſſem G inquit, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.

Exempla Historica.

Titus Veſpaſianus erga omnes ad ſe venientes comis erat, & benignus, ita ut vel hac ratione ſubditorum quorumvis adfectum in ſe provocaret. Cùmque moneretur à nonnullis è Proceribus, quòd plura polliceretur, quàm poſſet præſtare, reſpondit: Non oportet quemquam à Cæſaris colloquio triſtem diſcedere. *Svet. in Veſpaſiano.*

Hadrianus Imp. quoſcumque etiam infimæ ſortis humaniter excipiebat, & iis ſuccenſebat, qui eam comitatem redarguebant, quaſi quę dedeceat majeſtatem Principis, cum ille potiùs per eam hanc augeri & firmari diceret. *Polyanth. Langii ex Dione, hoc Tit.*

Affabilitatis vim & effectum *Horatius* depinxit his exemplis.

Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus, & fœdo victu deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tygres rabidoſque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis H
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.
In arte Poetica.

Præclara, & non reticenda Magnatum virtus, quibuſvis ad eorum patrocinium confugientibus aures patentes præbere, ac Principis majeſtatem tempore & loco ſervare. Quo in genere non pauci excelluere: nos ex iis clariores in medium adducemus. Et ut mundi redemptorem Chriſtum ſileam, cujus omnis prædicatio, converſatioque mirè affabilis; D. Joannem Eleemoſynarium referam, qui Patriarchatus munere inſignitus, bis per hebdomadam patentibus porticibus cuivis aures accommodabat: cumque, ut fit, confeſſores ſui quoſdam duriùs increpatos repellerent, eos his verbis compellabat: Cum nos ad Deum ſine interceſſore liberè accedamus, qui tamen homines ſumus; quomodo & non conſervis noſtris portas reſeramus, & benignam cuivis aurem præbemus? æquè præclarè ac Veſpaſianus ille olim, qui neminem à Cæſaris colloquio triſtem diſcedere oportere reſpondebat: ut auctor eſt Svet. *Sur. tom. 1. in vita.*

A Idem cùm aliquando præſediſſet, omnium alloquio quereliſque excipiendis paratus, & nemo pro ſubſidio acceſſiſſet, veſperè ſubtriſtis abiit. Cauſam verò ſciſcitanti, cur triſtior appareret: Hodie, dicebat, nullus à me quidquam accepit: neque minimum quidem piaculum offerre potui Chriſto pro peccatis meis. An non ea laude dignus, qua is apud Quirites, qui amicis ſe diem perdidiſſe conquerebatur? *Ibid.*

Cum ad Pium II. Pontif. ſenex verbis ſupra modum profuſus, petendi quippiam gratia acceſſiſſet, eumque quia profuſiorem quidam de aſtantibus moneret; verè pius Pontifex, omnia illum ab exordio repetere imperat, vultuque ſeveriùs in alterum retorto: Neſcis, ait, ex quo Pontificatum inji, aliis vivere me oportere, non mihi: rarum exemplum humanitatis, quod meritò æmulentur poſteri. *Ex Ioan. Ant. Camp. in vita. Beyerlinck in Apopth. Chriſt.*

Quis Auſtriacæ ſtirpis primam quaſi radicem Rudolphum ſine injuria ſileat? Cum enim frequentior ad eum foret populi concurſus, & ſatellitum quoſdam tenuioris fortunæ ad ſe affectantes ſubmoveri adverteret, non ſine ſtomacho edixit: Per Deum (ipſa ejus verba ſunt) ſinite homi- B nes ad me venire. Non enim ideò ad Imperium vocatus ſum, ut in arcula includar. Meminerat pius Imperator, Regem regum, dum inter homines degeret, diſcipulos increpaſſe, quòd parvulos, id eſt humiles & abjectos, à ſe removerent: Talium, inquiebat, eſt regnum cœlorum. *Refert I. Lipſius lib. 2. Mon. Polit. c. 7. & ex Beyerlinck ſuprà.*

Henricus Imp. Friderici Fil. ita in rebus aſſiduus, ut vix ſerò cibum caperet; monentibus autem, valetudinis curam haberet: Privato, ait, homini tempus cibi eſt, cum id lubet aut ſolet: at Regi, ſi nomen ſuum non abdicat, id ſolum quo vacat. *Ibid.*

Alphonsi Regis quàm ſimilis vox & animus! reprehenſus enim quòd erga hoſtes & ſubditos ſe affabilem & manſuetum præberet: Nihil, ajebat, magis adverſariorum animos flectit, quàm placabilitatis & manſuetudinis nomen. *Ex Panorm. lib. 3. de Geſtis Alph. Beyerlinck.*

Addamus inclytum hoc & rarum exemplum. Cum Noribergæ aliquandiu verſaretur Ferdinandus Imp. (alii referunt ad Maximil. I.) quendam è primatibus rogat, quomodo tantam multitudinem regerent; qui reſpondit: Blandis verbis C & atrocibus pœnis; ſic enim debent imperia eſſe conſtituta, ut gubernatores omnibus comiter reſpondeant, & in pœnis adhibendis gravitatem ſervent. *Phil. Camer. in locis Manlii.*

☞ *Requiratur Locus de Alloquio facili, & communi.*
☞ *Item de Benevolentia, humili ſui exiſtimatione, &c.*

---

* Affectatio.

Definitio & Etymologia.

Affectatio eſt ſtudioſa inveſtigatio ſive uſurpatio novitatis vocum, ſermonum, veſtium, aut aliarum rerum; eſtque verbale ab Affecto, quod idem eſt ac curioſè indago, ſive anxiè exquiro, ἐπιβάλλομαι, & μνηστεύομαι Græcis, atque ab Afficio deduci, ait *Feſtus*. Cur non potiùs ab affectu etymon ſumamus? nam qui nimio adfectu rem quampiam proſequuntur, eam affectare dicuntur. Ita *Plinius*, Tanta eſt, ait, decoris affectatio, ut oculi quoque tingantur. *lib. 11. c. 27.*

D ☞ *Vide locum de Grammatica. Tit. Inventores Grammaticæ.*
☞ *Item locum de Sophiſtis, quibus proprium affectare eruditionem.*
☞ *Denique ſuprà locum de Æmulatione.*
Nonnulla nihilominus de hoc argumento ſubjungemus, quæ loco huic propria.

Anicula Theophraſto licitanti quiddam, idque admodùm Atticè: Hoſpes, inquit, non vendo tanti: notans illum quaſi non eſſet Atticus natura, qui ſupra modum affectaret Atticiſmum. Id enim ſolent hoſpites, dum in aliena lingua volunt videri diſerti. *In Apoph. apud Lycoſt. Beyerl. in Apoph. Chriſt.*

Favorinus ad adoleſcentem priſcarum, & jam obſoletarum vocum affectatorem: Curtius, inquit, & Fabricius dilucidè cum ſuis fabulati ſunt: neque Aruncorum, Sicanorum, aut Pelaſgorum, qui primi Italiam incoluiſſe leguntur, ſed ætatis ſuæ verbis locuti ſunt: tu verò perinde quaſi cum matre Evandri loquaris, verbis jam olim deſitis uteris. Quòd ſi intelligi non vis, quæ loqueris, nonne hoc abundè conſequeris tacens? *Plut. lib. 6. Apoph.*

Melanthus interrogatus, quid ſentiret de tragœdia Diogenis? Non vidi, inquit. Notavit affectationem Diogenis E in ſcribendo quæ ſæpenumerò non minima obſcuritatis cauſa eſt. ὑπὸ τοῦ ἀκούειν.

Oſcus Rhetor quidam clariſſimus, cum adeò loquendo ſimul & ſcribendo affectaret, ut nil abſque ſchemate proferret, Pacatus obviam ei veniens dixit: Poteram dicere, Ave Oſce. Irriſit hominem affectatorem, ſalutatione affectata. Uſus eſt enim occupatione affectata, præter omnem neceſſitatem. *Lib. 8. apoph.*

Polus ſophiſta cum daret operam, ut nimis affectatè loqueretur, atque hinc immodicè gloriaretur, Plato hominem ſic taxavit: O Pole! ut te tuo alloquar modo. Polus autem Græcè ſonat pullum equinum. Voluit autem taxare hominis affectatè loquentis arrogantiam. *Laert. lib. 3.*

Demonax quum interrogaſſet quendam, atque is verbis nequaquam vulgaribus reſpondiſſet: Ego, inquit, amice, te nunc interrogo: at tu perinde reſpondes, quaſi viveret adhuc Agamemnon. *Eraſ. lib. 8. apoph.*

Idem quendam Rhetorem audiens ita loquentem, Hora nimiùm jaculatrix adveniens regionem herbis defectam F reddidit: Non ſines, ait, mecum ut cum turba agere? Notavit autem his verbis, ſermonem hominis plus ſatis affectatum. *Plutarch. in Rom. apoph.*

Idem Phavorini dictionem ut nimiùm compoſitam ſolebat arguere ridiculè: quod cum ille ægrè tuliſſet, ait: Ut Philoſophum veſtis neglectior, ita oratio decet inaffectata. *Eraſ. l. 8. apoph.*

Mœcenas cum verbis affectatis ſcribere ſoleret, ab Auguſto hac valedictione deriſus eſt: Vale mel gentium, melcule, ebur ex Hetruria, Jaſer Aretinum, adamas Supernas, Tiberinum margaritum, Cilneorum ſmaragde, Jaſpis figulorum, Berille Porſennæ, &c. *Macrob. lib. 2. c. 4.*

AFFECTATIO VESTIUM,
Idiomatis Peregrini, &c.

Ceterùm ridiculi ſunt & ſuperbi, inquit *Simon Majolus in Diebus ſuis Canicularib. Colloq. de aula & caula Tom. 2.* qui ſibi ſolis placentes, alienigenas ementiũtur veſtes, alienigenoſque nutriunt famulos, ut alienigenarum linguarum cognitionem habere apud vulgus videantur, cum tamen maternam vix calleant. In hujuſmodi oſtentatores ridiculos Tho- G mas Morus eleganti carmine invehitur, introducitq; amicũ quendam ſuum, quem vocat Gallicæ linguæ affectatorem:

Amicus (inquit) *& ſodalis eſt Lalus mihi,*
Britanniaque natus, alituſque Inſula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant,
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetit cuncta Gallica,
Toga ſuperbit ambulans in Gallica.
Amatque multum Gallicas Lacernulas,
Zona, Locello, atque enſe gaudet Gallico,
Filtro, Bineto, pileoque Gallico,
Et calceis, & ſubligari Gallico,
Totoque denique apparatu Gallico.
Nam & virum habet miniſtrum, eumque Gallicum,
Sed quem (licet velit) nec ipſa Gallia
Tractare quiret plus (opinor) Gallicè.
Stipendii nihil dat, atque id Gallicè,
Veſtitque tritis pannulis, & Gallicè hoc,
Alit cibo parvo, & malo, idque Gallicè, H
Labore multo exercet atque hoc Gallicè,
Pugniſque crebrò pulſat, idque Gallicè.
In cœtu, & in via, & foro, & frequentia,
Rixatur objurgatque ſemper Gallicè.
Quid? Gallicè illud? imò ſemi-gallicè.
Sermonem enim (ni fallor) illic Gallicum
Tam callet omnem quàm Latinum Pſitaccus.
Creſcit tamen, ſibique nimium placet
Verbis tribus ſi quid loquatur Gallicis:
Aut Gallicis ſi quid nequit vocabulis,
Conatur id, verbis licèt non Gallicis,
Sonoque ſaltem perſonare Gallico,
Palato hiante, acutulo quodam ſono,
Et fœminæ inſtar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ.
Balbutiens videlicet ſuaviter,
Preſſis quibuſdam litteris Gallis quibus
Ineptientes abſtinent, nihil ſecus
Quàm Vulpe, Gallus rupibuſque novita.